BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXX
G
73
NAPOLI

Koll V. S. Geogr.
f. — 2 —
Duplicate
XXX
8
73

250
2

Digitized by Google

Digitized by Google

EXERCITATIONES
DUÆ:

Prima,

De Ætate PHALARIDIS;

Secunda,

De Ætate PYTHAGORÆ PHILOSOPHI.

Ab Henrico Dodwello, A. M.
DUBLINIENSI.

LONDINI,
Impenſis Richardi Smith, ad Inſigne
Angeli & *Bibliorum* extra *Temple-Bar.*
M DCC IV.

Eusebius de Sauriere advocatus

Digitized by Google

ILLUSTRI DOMINO

DOMINO

Ezechieli Spanhemio,

Libero Imperij Baroni:

Has qualeſcunque de

PHALARIDE

ET

PYTHAGORA Philoſopho

EXERCITATIONES,

In Honoris Benevolentiæque
Pignus atque Monumentum,

Donat, Dicat, Dedicatque

Henricus Dodwellus.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Artemne *Epiſtolas ſcribendi* Exploratam *potuerit habere* PHALARIS?

NOSTRAM de *Phalaridis Ætate* ſententiam in ſequenti *Diſſertatione* non tam *defendimus*, quàm *correximus*. Hac nempe lege ne cauſæ à viris utrobique doctiſſimis ventilatæ *judicium* nobis arrogemus. Valeant *rationes* noſtræ quantum valere poſſunt, earumque *arbitrium* penes *ipſos* eſto, eorumque *ſimiles*. De *Phalaridis Epiſtolis* pauca admodum attigimus objecta illis ab eruditiſſimo *Editore* eodemque *patrono*. Jam quoque piget ad *ſingula* cauſæ momenta deſcendere, quæ ſi pro merito tractanda eſſent, *otij* majoris opus exigerent quàm poſſumus impræſentiarum polliceri. Expectat tamen de his quoque ſententiam noſtram *Cl. Bentleius*. Unum ſaltem caput attingam, quod, ſi concedatur, efficiet ne aliis Argumentis opus ſit ad fidem Epiſtolarum abrogandam. Ita tamen ut nec quicquam *audacter* aſſeramus, nec *pertinaciter* tueamur, ubi meliora fuerimus edocti.

I. Potuerit-ne Phalaris ſcripſiſſe Epiſtolas.

P. 31.

Utinam ab utroque Antagoniſtâ idem impetrare valeremus ut, miſſis invicem *affectibus*, huic uni ſtudio incumberent, ut rem literariam *publicam* promoverent, unaque officiis *Chriſtiano* dignis examuſſim ſatisfacerent. Mihi certè *infirmitatis* humanæ conſcio, hæc plane neceſſaria videntur ut largiatur *Deus* quæ meæ *vires* negant.

Atoſſam credit D. *Bentleius* Epiſtolarum *inventricem* fuiſſe, quæ tamen *junior* fuerit *Phalaride*. Et quidem teſte, ut putat, *Hellanico*.

2. Ait imprimis Doctiſſimus *Bentleius Atoſſam Cyri* filiam *Epiſtolarum* inventricem haberi. Idque confirmat teſtimonio *Hellanici*, vadimonium pro *Hellanico*, qui ipſe periit, præſtantibus *Tatiano* atque *Clemente Alexandrino*. Hæc, ſi vera, fruſtra *Epiſtolas* à *Phalaride* expectandas eſſe arbitratur, quem *Cyri* tempora ægrè attigiſſe putat, nondum adultâ *Atoſſâ* nec novis *inventis*, pari nedum ut nova illius inventa ad *Siciliam* uſque ex *Aſiâ* penetrârint. Sic neceſſe non erit ut ad ſingula Argumenta deſcendatur ſi hoc unum ſufficiat ad Epiſtolas Phalaridis falſi convincendas, quòd Epiſtolarum titulum ferant, & tamen *Phalaridi* tribuantur, quippe quæ nullæ fuerint ætate *Phalaridis*.

Hellanicus ille *Mileſius* eſſe potuit antiquiſſimo *Hellanico Hiſtorico Mitylenæo*,

3. Locus *Hellanici* erat proculdubio in illius *Perſicis*. Hoc enim titulo Scriptum *Hellanici* laudat *Stephanus*. *Hellanicum* autem vetuſtiſſimum Hiſtoricum, qui *Herodoto* duodecennio major erat, credit D. *Bentleius*. Nempe *Lesbium* ex urbe *Mitylene*. Sed *Hellanicum*

Suidas

Suidas memorat *Mileſium* qui etiam ipſe fuerit *Hiſtoricus*, à *Lesbio* alium fortaſſe, niſi utriuſque Civitatis tam *Mitylenes* quàm *Mileti* civis idem fuerit *Hellanicus*, quod illo quoque Seculo fateor fuiſſe frequentiſſimum. Si *alius* fuerit, ægrè admodum intelligemus uter *Perſica* ſcripſerit, quem teſtem de *Atoſſâ* primâ *Epiſtolarum* inventrice advocârint *Tatianus* atque *Clemens*. Ægrè item, ut opinor, *hunc antiquum* probabit vir doctiſſimus, ſi fuerit *alius*. *Unicum* enim hoc nomine *Hiſtoricum antiquiſſimum* agnoſcunt Veteres, qui *proximâ* illius memoria ſcripſerint, teſtes exceptione majores. Nec tamen magis, de *primis* rerum *inventoribus*, ſibi invicem conſentiunt *Veteres* quàm de *aliis* horum, in quibus verſamur, temporum *Traditionibus*. Nec *alium* aliquem, qui poſt multa ab *Atoſſæ* ætate Secula ſcripſerit, hujus inventionis *teſtem* adhibent qui *vetuſtiſſimos* illos Scriptores viderint *juniores*. Proinde adeo certum non eſt quàm cenſuit Vir doctiſſimus hoc ſingulare de *Atoſſâ* Epiſtolarum *inventrice* teſtimonium *Hellanici*.

& proinde *Atoſſâ* multis Seculis junior.

4.

Contra, Veterum teſtimonia ſunt admodum diſerta de *Epiſtolis* ante *Atoſſam* ſcriptis. Ipſe quoque ſibi nonnulla objecit D. *Bentleius*, ſed *temporum* præſertim *Mythicorum*, quorum ego fidem nullo plane in loco habendam exiſtimo, cum deeſſent, quibus aſtrueretur, publica *monumenta*. Miſſam ergo facio commentitiam illam, quæ etiam *chartâ* ſcripta fuerit,

Homero etiam cognitæ *Epiſtolæ*, quem non *Atoſſâ* duntaxat, verum etiam *Cyro* Atoſſæ patre, noſtræ quoque rationes *antiquiorem* faciunt.

fuerit, *Sarpedonis* Epiſtolam quam viderit *Licinius Mucianus*. Ne quidem *Homeri* teſtimonium, quà quidem ad *Bellerophontis tempora* refertur, magni facio. Quà tamen *Seculi Bellerophontei* mores pro *ſui*, quo vixit *Homerus* ipſe, *Seculi*, moribus deſcribit Poëta, negligendum non exiſtimo. Hinc enim patet *morem* ſcribendarum *Epiſtolarum* jam illo quo vixit *Homerus*, Seculo receptum eſſe. Et quidem ita receptum ut originem illius neſcierit, quam ſciviſſe creditur *Hellanicus*. Hæc enim cauſa erat cur morem illum tribuerit temporibus eorum *Mythicis* à memoriâ ſuâ remotiſſimis. Erat autem *Homerus* non *Hellanico* duntaxat, verum etiam *Atoſſâ* major, imo ipſo Atoſſæ patre *Cyro*, pro *noſtris* quoque rationibus qui eum *Cimmeriorum* irruptioni parem credimus ſub *Cyaxare*, & *Midâ*, cujus nepotem ad *Cræſum* veniſſe teſtis eſt *Herodotus*.

5. *Primum Scribendi* uſum in *Epiſtolis* fuiſſe veriſimillimum eſt.

Nec ſane opus eſt ut ad tempora *Mythica* hujus rei probandæ cauſâ aſcendamus. *Epiſtolam Harpagi Cyro Atoſſæ* patri inſcriptam Κύρῳ ἀνδρευμένῳ, conſervavit *Herodotus* Epiſtolari formâ conceptam. *Cum adoleviſſet*, inquit *Juſtini Trogus* I. 5. Proinde ante natam *Atoſſam*. Et tamen *Epiſtolam* diſertis verbis idem appellat: *Epiſtola*, inquit, *quia palam ferri nequibat, Regis cuſtodibus omnes aditus obſidentibus, exenterato lepori inſeritur, lepuſque in Perſas Cyro ferendus fido ſervo traditur.*

Herodot. I. 124.

Digitized by Google

ditur. Mox c. 5. *Lectis ille Epiſtolis eadem ſomnio aggredi juſſus eſt.* Nihil autem *novum* in eo obſervatur, quòd *Cyro Epiſtolas* ſcripſerit *Harpagus*, ſed in *arte* Epiſtolas *celandi.* Mitto jam Epiſtolas *Laertianas, Thaleti, Soloni, Chiloni, Pittaco, Cleobulo, Periandro, Anacharſidi, Epimenidi, Pherecydi,* attributas, earumque *Reſponſorias*, Auctorum *Cyro* vel *parium*, vel etiam *Cyro ſuperiorum.* Video enim illas à viris Erudıtiſſimis in *dubium* vocari, nec, ut opinor, immeritò. Nec placet *certorum* fidem *incertorum* immiſtione imminuere. In *Sacris* autem *Literis* noſtris *Epiſtolarum* mentionem ſatis frequentem legimus, multis ante *Cyrum* natum Seculis, nedum *Atoſſam.* Ita *Sam.* XI. 14, 15. 1 *Reg.* XXI. 8, 9. 2 *Reg.* V. 5, 6, 7. *cap.* X. 1, 2, 6, 7. *cap.* XIX. 14. *cap.* XX. 12. 2 *Paralip.* XXX. 1. 6. *Ezr.* IV. 8, 11, 18. *Nehem.* II. 8, 9. *cap.* VI. 5, 17, 19. *Eſth.* III. 13. *cap.* VIII. 5. *cap.* IX. 25. *Iſai.* XXXVII. 14. *cap.* XXXIX. 1. *Jer.* XXIX. 1, 25, 29. Semper autem ut in hominum uſu *receptæ* memorantur, nuſpiam ut noviter *inventæ.* Idque ſane veriſſimillimum *Epiſtolarum* inventionem ex *Hiſtoriis* expectari ne quidem oportere, quippe quæ *primæ* Scriptionis uſum exercuerint, in rebus *familiaribus* antea quàm in *publicis* uſurpandæ. Quis enim quæſo vir prudens ſententiam ſuam nunciorum *verbis* efferendam crederet; cum, invento *literarum* uſu, ſua

Vid. *Menag.* in *Laert.* I. 42.

poſſet

poſſet *verba* ipſa tranſmittere? *Urgentem* egeſtatem (ſic loquitur Poëta) cauſam agnoſcit *Virgilius* quæ humana ingenia acuerit ad artes *inveniendas*. Urgebat autem illa maximè in uſibus vitæ *quotidianis*. Proinde non eſt cur dubitemus quin in rebus illis *quotidie* occurrentibus primus fuerit *inventionum* uſus, inde ad *publica* transferendus cum jam *neceſſariis* abunde ſuppetentibus, otium eſſet de illis cogitandi quæ ad *voluptatem* facerent. Sic & ſtylum *ſimplicem* in ſcribendo *antiquiſſimum* fuiſſe conſentaneum eſt, qui plane *neceſſarius* erat ad res *gerendas*. Poſtea ad ſtyli *ornatus* progreſſus factus eſt primò quidem in *ligatâ*, denique in *ſolutâ* oratione, deque rebus jam non amplius tantummodò *privatis* verumetiam *publicis*. Certe, apud *Græcos* multis à literarum inventione Seculis *juniores* erant *Hiſtoriæ*. Ut *intercidiſſe* primum *Epiſtolarum inventorem* veriſimillimum ſit cum *primæ* ſcriberentur *Hiſtoriæ*. Sed *codicillos* illos antiquos *Epiſtolis* opponit *Plinius*. Rectè quidem ille qui *chartæ* tantummodo inſcriptas *literas* habeat pro *Epiſtolis*. Sed nihil plane ad controverſiam de *Phalaridis Epiſtolis* ſpectat quâ *materiâ* exaratæ primæ fuerint literæ, *chartâne*, an arborum *corticibus*, an *tabulis* etiam *pugillaribus*. Nec novam aliquam *materiam* inveniſſe dicitur *Atoſſa*. Poterant in uſum *poſterorum* deſcribi

Virgil. Georg. I. 145.

pro

pro *more* materiæ *Seculo* quo vixerit tranſcriptor uſurpatæ, ſiquæ *poſterorum* uſu dignæ viderentur, quacunque demum *materiâ* ſcriptæ fuerint Epiſtolæ *Autographæ*. Et *certiſſimæ Hiſtoriæ* vindices habendæ erant, ſiquæ *coævæ* reperiri poſſent, præſertim verò *Principum*, *Epiſtolæ*. Fallitur autem vir doctiſſimus ſi, quæ *tabellis* etiam *pugillaribus* concipiebantur, mox *inducenda* atque negligenda fuiſſe cenſeat. Ita certè concipiebantur *Teſtamenta* quæ tamen *Archivis* in poſterorum uſum recondebantur. Ita & *Epiſtolæ* illis quoque temporibus quibus uſum earum *Hiſtoricum* magni factum ne quidem ipſe negare poterit. Fallitur præterea cum Argumentum *Plinij* à ſententia Veterum de inferiore *Ægypti* parte ποταμοχώςῳ firmum eſſe putat ne *chartæ* uſus in *Epiſtolis* eſſe potuerit etiam *ætate*, ſiqua fuerit, *Sarpedonis*. Non me tamen fugit erroris originem ab ipſo fuiſſe *Homero*. Sed errorem illum refutavit Maximus *Bochartus*. Quanquam ad noſtram cauſam nihil, uti dixi, pertineat qui non de *materiâ*, ſed de ipſâ *Epiſtolarum* arte, diſputamus, num fuerit antiquior *Atoſſâ*, & coæva *Phalaridi*. Hoc unum ſatis erit ut probetur, ad has Epiſtolas ementiti tituli convincendas, *aliunde* quærenda eſſe Argumenta quàm quòd fuerint *Epiſtolæ*. Videamus ergo quale fuerit quod invenerit *Atoſſa*.

Bochart. Phaleg. Lib. IV. c. 24. & Epiſt. ad *Sant-Amantium.*

Nihil

6\. Nihil eſt profectò cur *artem* ipſam *Epiſtolarum*, quâ noſtram *ſententiam* noſtris etiam *verbis* abſentibus ſignificamus, ab *Atoſſâ* inventam exiſtimemus. Nihil cur vel ita ſenſiſſe credamus *Hellanicum*. Voce *συντάσσειν* uſus eſt *Tatianus*, à quo cepit *Clemens Alexandrinus*. Si quidem illa fuerit *Hellanici*, non autem *eorum* potiùs qui ex *Hellanico* ſua deſumpſerunt; aliud omnino volebat *Hellanicus*, quàm vult Vir doctus qui in ſuæ ſententiæ patrocinium *teſtem* adhibet *Hellanicum*. Nec enim *γράφειν*, vel *συγγράφειν*, vel voce aliâ tantundem *valente* uſus eſt *Hellanicus*, quâ *ſcribendarum* Epiſtolarum *artem* ab *Atoſſâ* inventam fuiſſe innuat. Aliud eſt omnino *συντάσσειν ἐπιστολάς*, idemque, ni fallor, denotat quod *compaginare*, voce *Romanâ*. Hoc itaque *Atoſſæ* inventum, ut *tabellas Epiſtolares* (quæ ſingulæ *Paginæ* appellabantur) in unum *corpus* & *faſciculum* compaginare, quo commodiùs à *Tabellariis* deportarentur, qui ab his *Epiſtolarum tabellis* nomen acceperunt, *prima* illa docuerit *Atoſſa*. Sed verò *Epiſtolarum* inventionem *provectam excultamque* ſupponebat Ars illa Epiſtolas *compaginandi*. Supponebat Epiſtolarum *longitudinem* illam quæ *plures* unà *tabellas* fuerint impleturæ, plane alienam ab *exemplis* Epiſtolarum *antiquiſſimis*, quæ, quò *antiquiores* ſunt, eò ſunt etiam plerunque *breviores*. Supponit præ-

Non *Artem* ipſam Epiſtolarum *ſcribendarum*, ſed *tabularum* Epiſtolarium invicem *compaginandarum* reperit *Atoſſa*, *Homero* ignotam, cui tamen *alia* Epiſtolarum *forma* innotuit, quâ uti potuit *Homero* junior *Phalaris*.

terea

terea *uſum* in *Epiſtolis* illarum ſaltem *tabellarum*, quæ nec ipſæ obtinebant in *Epiſtolis* omnium *antiquiſſimis*. Supponit denique *publicorum nunciorum* morem receptum apud *Perſas* in quorum *uſum* hanc artem *compagiuum Epiſtolarium* reperit *Atoſſa*. Proinde uſum *ſtationum publicarum*, & *Angariorum*, quæ ſatis aptè *Darij Hyſtaſpidæ* temporibus conveniunt, qui illam habuit in matrimonio *Atoſſam*. Cæterùm *antiquam* Epiſtolarum inventionem, quæque *primarum Hiſtoriarum* memoriam, quas *nullas* agnoſcunt *Græci* antiquiores *Hyſtaſpidæ*, ſuperârit, tot illi *gradus* arguunt vetuſtiores *Hyſtaſpide*. *Multiplices* certè *Epiſtolarum*, quæ fuerint invicem *compaginandæ*, tabellas ignoravit *Homerus*, quem nos *Cyro* non *Multo* antiquiorem fuiſſe probavimus. Epiſtolam ille *Bellerophontis* πίνακα πτυκτὸν appellat *Iliad.* Z. 169. *Unicus* erat ille πίναξ, cui nullâ opus erat *compagine*, qui *ſocium* alterum non haberet, cui fuerit committendus. Nec è *ligno* ſane vel *durâ* materiâ, qui fucat *involucro* in thecam *portatilem* aptandus. Nihil ergo vetat quo minus *hâc*, quæ innotuit *Homero* faſciculorum Epiſtolarium *formâ* uſus fuerit *Phalaris*, quem utcunque *antiquum* eſſe volunt, nemo tamen eſt qui dubitet quin fuerit ſaltem recentior *Homero*. Loquitur autem de *ſuâ* potiùs ætate *Homerus* quàm de ætate

Belle-

Bellerophontis, quæ non *Hiſtoricis* modò, verum etiam *ſcriptis*, cujuſcunque generis *Græcis*, longe erat antiquior, nec proinde per *Hiſtorias* exploranda. Sed verò πίνακα illum *Homeri* πτυκτὸν de *Codicillis* interpretatur *Plinius*, quos etiam *Epiſtolis* opponit. Non equidem incommodè ſi, pro *Seculi* ſui more, nomen *Epiſtolæ* ad *tabellarem* Epiſtolarum *materiam* reſtrinxerit. Non item ſi *rem* ipſam potiùs attendiſſet quâ ſententiam noſtram *Scripto* cum *abſentibus* communicamus, quàm *materiam*, cui inſcriberetur. Poterat autem etiam in *arborum caudicibus* ſcripſiſſe *Phalaris* quæ à *junioribus* Librariis in aliam quamque tranſcripta fuerint *materiam*, pro more *varij*, quo ſcripſerit *Librarius* quiſque, *Seculi*, ipſam quoque *variam*. Hoc autem, *Homeri* teſtimonio, quo *compaginum Epiſtolarium* formam paulo ante *Cyrum Atoſſæ* patrem *nondum* in *uſu* fuiſſe probavimus; veriſimile redditur teſtimonium *Hellanici*, qui *tabellarum Epiſtolarium* invicem *compingendarum* artem vendicavit *Atoſſæ*.

Plin. Nat. Hiſt. XIII. 13.

7.

Poterat etiam arte ab Atoſſâ inventâ uti Phalaris Atoſſæ coævus, non antiquior, ut volebat D. Bentleius.

Ut tamen daremus, primam, etiam *Epiſtolarum*, inventricem fuiſſe *Cyri* filiam *Atoſſam*; nihil inde ſequeretur quò minùs *Phalaris* ſcribere potuerit *Epiſtolas*. *Eâdem* enim erat ætate *Phalaris*, qua etiam *Atoſſa*. Erroris anſam Viro Doctiſſimo dedit alius error

error de ætate *Telemachi*, quem ille rectè non *Atoſſa* modò, verum etiam *Cyro*, antiquiorem eſſe cenſuit, & tamen *Phalaridis* fuiſſe *percuſſorem*. Nos contrà totidem γενεαῖς *Phalaride* ipſo *antiquiorem* oſtendimus, quot putat Dominus *Bentleius Atoſſâ* illum fuiſſe *ſeniorem*. Nec ſane multùm ab *Atoſſæ* ætate potuit, pro noſtrâ illius *Chronologiâ*, diſcrepare *Phalaris*. Non certè ſi *natus* fuerit *Agrigenti Phalaris*, ut putat Dominus *Bentleius*, non rectè tamen, ut opinor. Hoc me firmiſſimis rationibus probâſſe puto, ante *Olympiadem* L$^{m.}$ nullam fuiſſe, quâ naſci potuerit *Phalaris*, coloniam *Agrigentinam*. In reliquis *minorem* præ me fero *fiduciam*. Sic annum *ætatis* XX$^{m.}$ non ſuperârit *Phalaris* primo *Cyri* initio quod *Olympiadi* LV. aſſignant, *rarâ* in *his* tam *antiquis* temporibus *concordiâ*, Veteres. Accedant ergo *Cyri* anni in *Regno* XXX. Ne quidem ita annum *ætatis* L$^{m.}$ ſuperârit cum decederet *Cyrus*, *Cyro* proinde annis ad minimum XX. *junior*, qui annum *vitæ* LXX$^{m.}$ impleviſſe traditur. Sufficit hæc ipſa *ætas* ut *par* fuerit *Atoſſæ* ſi anno *Patris* XX$^{o.}$ fuerit in lucem edita. Sed *Patre* natam *adultiore*, quæ etiam *Dario* nupſerit, & quidem *Regi*, veriſimillimum eſſe fateor. Nec viceverſâ negandum, recentiorem *Phalaridis* natalem etiam eſſe veriſimiliorem. Sic optimè conveniet *ſpatium* ut vires illas divi-

divitiaſque acquireret nupera illa colonia *Agrigentina*, quæ *par* fuerit, ſub *Phalaride*, *Siciliæ* reliquæ *univerſæ*; imò quâ *univerſam* oppreſſerit *tyrannus*. Has certè *vires* repertas in Republicâ, quàm ſub *tyrannide* acceſſiſſe veriſimilius eſt. Dabitur etiam ſpatium *Phalaridi* inſidiis & ineundis in Rempublicam conſiliis plane neceſſarium. Maximè verò ſi *alienigena* fuerit & civis *adſcititius*, ut volebat, (quicunque demum is fuerit) *Epiſtolarum* Auctor, fretus proculdubio *Veterum*, qui tum extabant, *Siculorum Hiſtoricorum* teſtimoniis. Nec enim *brevi* ſeſe in *Reipublicæ* fidem inſinuare potuit *extraneus* nullâ fretus domeſticorum *cognatione* qui jam *potentes* eſſent in *Republicâ*. Eſt & aliud *ſpatium* neceſſarium rebus à *Phalaride* gerendis, qui certè res *magnas* geſſit, nec *modici temporis*, ut inſulam *univerſam*, ſi minùs *poſſeſſione*, at ſaltem *terrore*, obnoxiam haberet. Faciunt hæc ut *Darij Hyſtaſpidis* tempora neceſſariò attigerit *Phalaris*, qui quidem *Darius* in matrimonio habuit *Atoſſam*. Erat autem *Atoſſa* initio *Darij* vix certè minor *tricenariâ*. Nupſerat enim antea Mago, & ante Magum, *Cambyſi* etiam fratri, quæ *nubili* proinde *ætate* fuerit, excedente rebus humanis patre *Cyro*. Nec quicquam video quod obſtet quò minùs fuerit, eâdem *Darij ineuntis* Epochâ, *eâdem* etiam ætate *Phalaris*. Nihil ergo vetat quin à *coæva*

Principe

Principe inventum didicerit *coævus* illi, etiam *Princeps* ipſe *Phalaris*, & in *Siciliâ* uſurpârit. Facile enim erat *Aſiæ* cum *Sicilia* commercium, in quâ tot certum eſt fuiſſe *Græcas* colonias, etiam *Aſianas*. Imo ex *Aſia* colonos legimus in ipſâ urbe *Agrigentinâ*. Nec *ibi* modò, verum etiam *Gelæ*, quæ *metropolis* erat *Agrigenti*. Erat enim conditorum alter è *Rhodo Antiphemus*. Nec aliunde *Telemachus*, quem etiam ipſum in coloniâ *Geloâ* partem habuiſſe probavimus. A *Gelâ* deinde *Agrigentum* migrabant illius *poſteri*, à quibus oriundus *Thero*, à quibus *is* (quicunque demum fuit) qui *Phalaridem* ſuſtulit. Nec enim aliunde factum exiſtimo, ut *cædis Auctor* haberetur ipſe *Telemachus*. Nec aliunde, ut *tyrannidem* occupârit ipſe *Thero*, quàm quòd majorem *aliquem* habuerit *Phalaridis interfectorem*. Cum ergo fuerint, etiam *Agrigentini*, coloni *Aſiani*, qui *ortum* ſuum è receptis illorum temporum ſtemmatibus, habebant exploratum; & facile eſſet *inſulæ* commerciis celeberrimæ cum *Aſiâ* commercium: nihil ſane video, cur *Aſianorum* inventa *Siculi* non potuerint habere compertiſſima. Nihil ergo pugnat quo minùs potuerit ſaltem ſcribere *Phalaris Epiſtolas*. Alia autem Viri Cl. Argumenta de harum Epiſtolarum νοθείᾳ otium non eſt ut impræſentiarùm perſequamur.

Eorum, quæ per ſingulas Sectiones tractantur

INDEX.

In PRÆFATIONE.

1. POtueritne Phalaris *ſcripſiſſe* Epiſtolas, *pag.* i
2. Atoſſam *credit D.* Bentleius *Epiſtolarum* inventricem *fuiſſe*, *quæ tamen* junior *fuerit* Phalaride. *Et quidem teſte*, *ut putat* Hellanico, ii
3. Hellanicus *ille* Mileſius *eſſe potuit antiquiſſimo* Hellanico Hiſtorico Mitylenæo, *& proinde* Atoſſà *multis Seculis* junior, ii, iii
4. Homero *etiam cognitæ* Epiſtolæ, *quem non* Atoſſà *duntaxat*, *verum etiam* Cyro *Atoſſæ patre*, *noſtræ quoque rationes* antiquiorem *faciunt*, iii
5. *Primum* Scribendi *uſum in* Epiſtolis *fuiſſe veriſimillimum eſt*, iv
6. *Non* Artem *ipſam Epiſtolarum* ſcribendarum, *ſed* tabularum *Epiſtolarium invicem* compaginandarum *reperit* Atoſſa, Homero *ignotam*, *cui tamen* alia *Epiſtolarum* forma *innotuit*, *quà uti potuit* Homero *junior* Phalaris, viii
7. *Poterat etiam* arte *ab* Atoſſà *inventa uti* Phalaris Atoſſæ *coævus*, *non* antiquior, *ut volebat D.* Bentleius, x

Exercitatio Prima.

De Ætate Phalaridis.

1. Hiſtoriæ *ipſa per hæc tempora incerta. Proinde cautè ſtatuendum eſt*, pag. 1
2. *Urbe ipſâ Agrigentinâ* Phalaris *antiquior eſſe non potuit, quæ erat, cum ſcriberet* Pindarus, *centenaria*, 2
3. *Rationes* Euſebianæ *conditarum* Syracuſarum *cùm* Thucydideis *optime conveniunt*, 3
4. *Ex illis Urbis* Agrigentinæ *origo ſtatuitur Olympiad.* L. 1. *ut in Scholiaſte* Pindari, 6
5. Therone *certum eſt in Tyrannide* Agrigentinâ *antiquiorum fuiſſe* Phalaridem, 7
6. *Imo duobus* Theronis *in Tyrannide* Agrigentinâ *deceſſoribus* Gelonis *duo in Tyrannide* Gelcâ *deceſſores ad* Olymp. LXVIII. 4. *Pertigerunt*, 9
7. Cleandro Gelæ *tyranno antiquior videtur fuiſſe* Phalaris, 13
8. *Scholiaſtarum vel Vetuſtiſſimorum teſtimonia de his* Phalaridis *temporibus fidem non merentur*, 15
9. Pindari *Scholiaſte teſtes Hiſtoricos nullos fuiſſe veriſimile eſt à* Telemacho Phalaridis, 16
10. *Scriptorum Genealogicorum primorumque* Hiſtoricorum *fides admodum incerta*, 22
11. Genealogiarum Græcarum *primus Auctor fuiſſe videtur* Acuſilaus Argivus, *nullâ prorſus* Archivorum *fide*, 24
12. Genealogiarum *fidem incertam produnt frequentiſſima illarum temporibus* antiquiſſimis diſcordiæ, 27
13. *Ipſæ hæ* Genealogiæ Siculæ *incertæ ſunt*, 31
14. *Stemma* auctius *veriſimilius eſt, Et proinde veriſimilius*

riſimilius eſt in coloniâ Geloâ *quàm in* Agrigentinâ *partes fuiſſe* Telemachi, pag. 34
15. Ratiocinniis *ſuis, non majorum* Teſtimoniis *debebant* juniores Grammatici, *quod cæſum à* Telemacho Phalaridem *arbitrarentur*, 38
16. Tyrannidem *in* Agrigentino *per* annos XXVIII. *videtur tenuiſſe* Phalaris, 41
17. *Malè tamen* illorum *annorum initium ab* Urbis *ipſius initio deducunt veteres* plerique, 42
18. *Non eſt veriſimile* natum *in* Agrigento *fuiſſe* Phalaridem. *Nec adeo primis* Agrigentinæ *coloniæ* initiis *Tyrannidem occupare potuiſſe*, 44
19. *Tyrannidem occupâſſe videtur* Phalaris *anno Urbis* Agrigentinæ XVI. Olymp. LIV. 1. *tenuiſſe autem ad* Olymp. LXI. 1. *pro hypotheſibus* Euſebij, 48
20. *Epochâ à nobis in* Euſebio *aſſignatâ paulo fortaſſe* ſerior, *vix autem* antiquior *potuit eſſe* Phalaris, 53
21. *Convenit ætas* Steſichori *ſi quidem* Olympiad. XXXVII. natus *fuerit, ut vult* Suidas, *mortuus autem* Olymp. LVIII, *vel* LIX. *minor* Homero *& major* Simonide, 56
22. Steſichorus *ille, à* Chori *στάσει ab eo cogitatâ ita cognominatus*, 59
23. *Στάσις illa, unde* Steſichoro *nomen, ſtatio erat* Epodica, 63
24. *Ex hujus στάσεως inventæ tempore colligitur ætas* Steſichori *inventoris*, 68
25. *E* Cliſthenis *mentione colligitur ad Ol.* LXVIII. *propius acceſſiſſe finem* Phalaridis, 72
26. *Idem colligitur è mentione* Epicharmi, 77
27. Phalaris *inter* Olymp. LXIX. 2. *&* Olymp. LXX. 1. *fortaſſis* interfectus, 81
28. Agrigentum *Ol.* $\frac{57}{58}$. $\frac{4}{1}$. *venit* Phalaris, *Ol.* $\frac{61}{62}$. $\frac{4}{1}$. Tyrannidem *adeptus, Ol.* $\frac{68}{69}$. $\frac{4}{1}$. cæſus, 83

Synopſis Chronologicâ Temporum *in hac Diſſertatione deſignatorum*, 85

EXER-

Exercitatio Secunda.

De Ætate Pythagoræ *Philoſophi.*

1. Rationes *de Ætate* Pythagoræ *Philoſophi* noſtræ, pag. 92
2. Rationes *de eâdem* Pythagoræ *ætate* Adverſariorum, 96
3. *Primis Græcorum* Hiſtoricis *par erat ætate* Pythagoras. *Primi autem* vitæ *illius Scriptores* Ariſtotele *juniores. Proinde* fabulis *immixtam* Hiſtoriam *complexi, quæ cautè invicem* internoſcendæ, 97
4. Noſtras *rationes* veriores *probat ætas* Pherecydis *qui* Pythagoræ Præceptor *erat. Malè hic* Pherecydem Lerium *Hiſtoricum cum* Pherecyde Syrio *Philoſopho confundit Cl.* Bentleius, 100
5. *Conciliantur aliæ* ætatis *notæ quæ* Pherecydi *tribuuntur apud* Laertium, *Bello* Meſſeniaco *tertio vixit* Pherecydes Hiſtoricus. Magneſiorum *cladem prædicere potuit Olymp.* L. Pherecydes *etiam* Philoſophus. 106
6. Pugil Pythagoras *idémne cum* Philoſopho *fuerit incertum eſt.* Multorum Pythagorarum *Hiſtorias in* unici Philoſophi *Hiſtoriam contulerint imperiti* Veteres, 113
7. Pugilem Pythagoram *cum* Philoſopho eundem *fuiſſe non cenſuit* Eratoſthenes, 117
8. Alium *à* Pythagorâ Pugile Philoſophum *fuiſſe veriſimillimum eſt.* Carnium *eſus apud* Pythagoræos *ſero receptus,* 124, 125
9 *Auctor* carnium *edendarum apud* juniores Pythagoræos, *vetuſtior ferebatur,* Philoſopho *tamen junior,* Pythagoras Eratoclis *filius, origine* Tyrrhenus, *quem tamen falſo cum* Philoſopho *eundem exiſtimabant,* 131

10. *Animalium nonnullorum partes nonnullæ propter* Myſticas *rationes* Pythagoræis *interdictæ. Non quaſi* aliorum *animalium partes* omnes, *eorundemve* aliæ *fuiſſe conceſſa*, pag. 137, 138
11. Hecatombæ *veterum* Pythagoræorum *non* animalium *erant*, *ſed* fartorum coctilium. *Alius ergo* Aliptes *ille* Pythagoras *qui animalium* eſum *indulſit à* Pythagorâ Philoſopho, 141
12. Aliptes *ille* Pythagoras *juvenis erat*, *cum* Philoſophum, *Olymp.* LXVII. ⅔. *è* Samo *comitaretur in* Italiam, 145
13. Comatus *non erat* Pythagoras Philoſophus. *Primus autem morem* capilitij *promittendi Schola* Pythagorææ *intulit*. Diodorus Aſpendius, 153
14. Coma *illa erat* Pythagoræ Athletæ *Philoſopho prorſus* indigna, *qui vel inde vincitur non fuiſſe* Philoſophus, 156
15. *Non favet Adverſariis* Antilochus. *Certus nullus* Pythagoræ annus *ab eo deſignatur voce* ἡλικία, 161
16. *Nulla erat* ratio *cur initium* Hiſtoriæ Philoſophicæ *à* Pythagoræ *Philoſophi* Adoleſcentiâ *arceſſeret* Antilochus. *Hallucinatur in* Solomonis *ætate* Petavius, 166
17. *Tantundem valent apud* Veteres *in* Chronologiâ *omnium* antiquiſſimâ ἡλικία, γένεσις, ἀκμὴ, γενέα, 170
18. Antilochus *ille* Epicuro *paulo* junior, 173
19. Γενεῶν *numero non* certus *aliquis* annorum *numerus deſignatur in Scriptoribus* antiquiſſimis, *ſed* Succeſſorum, 175
20. Notæ *omnes* ætatis *quâ vixit* Pythagoras Philoſophus *à* Veteribus *tradita cum* noſtris *conveniunt*, *non autem cum* Adverſariorum *hypotheſibus*, 180, 181
21. Diſcordia *illa quæ in* Jamblicho *apparet*, *non ipſi tamen* Jamblicho, *ſed* Auctoribus, *quorum fidem eſt ſecutus*, *imputanda eſt*, 182
22. *Habuit ſuos quoque* Auctores Jamblichus, *ne*

quidem

quidem ipſe Laertio *multo* junior, pag. 185

23. *Erat revera* Lyſis *ille qui* Epaminondam *docuit diſcipulus* Pythagoræ, 191

24. Lyſidem Pythagoræum *inter* Olymp. 97. $\frac{1}{2}$. & 97. $\frac{3}{4}$. *viz. inter* ann. U. C. Var. 363, & 365 *audiverunt* Philippus Macedo & Epaminondas *Mortuus* Lyſis, Olymp. 100. $\frac{1}{2}$. U. C. Varr. 375. Nuncium *de* Lyſide Thebis *agente attulit* Gorgias, Olymp. 88. $\frac{1}{2}$. U. C. Varr. 327. Athenis *reverſus*, 195, 196

25. *Incendium* Cylonianum *circa* Olymp. 83. $\frac{3}{4}$. U. C. Varr. 309. 203

26. *Multis poſt* Milonis *res in* Sybaritas *geſtis* annis *incendium erat* Pythagoræorum *in* Milonis *domo congregatorum. Et ne* vero *quidem vel* Milone, *vel* Cylone, 207, 208

27. *Incendium* Cylonianum *poſt* mortem Pythagoræ Philoſophi. *Alius tamen erat* Pythagoras *Philoſophi* diſcipulus *quem* Lyſis *audierit*, 211, 212

28. Gorgias *natus* Olymp. 80. *audiit* Empedoclem *natum* Olymp. $\frac{76}{77}$. $\frac{4}{1}$. Empedocels *ipſe* Telaugem *Pythagoræ Philoſophi* filium & Pythagoram juniorem *audivit*, Olymp. $\frac{81}{82}$. $\frac{4}{1}$. & Parmenidem *natum* Olymp. 69. 2. & Anaxagoram *natum* Olymp. $\frac{69}{70}$. $\frac{4}{1}$. 218

29. Pythagoras *junior* Lyſidis *Præceptor pro quo nomine* Mnemarchus *appellabatur, cognomen autem* Pythagoræ *à* Philoſopho *habuiſſe videtur. Hic pater* Damonis, 222

30. Ætas *hujus* Pythagoræ *è* Lyſidis *ad* Hipparchum *Epiſtolâ & Epocha* incendij Cyloniani, 229

Notæ, *in* Tabulas §. 1. *Annalium* Pythagoræ Chronologicæ, *ad quas* Diſ. III. *de* Cyclis *exigenda eſt.* 232

DE
Ætate PHALARIDIS.

EXERCITATIO PRIMA.

ÆTas PHALARIDIS primis *Græcorum Hiſtoricis* aliquanto *antiquior* eſt. Nedum *Chronologis*, quorum neminem *Bibliothecis Regiis Alexandrinâ* atque *Pergamenâ* antiquiorem reperio. Itaque non eſt quòd miremur aliquoties queri *Plutarchum* de *Chronologiæ*, per hæc tempora, incertitudine. Nec ſatis *certæ* erant, nec ſatis ſibi invicem *conſentaneæ*, cum *primi* ſcriberent *Hiſtorici*, majorum *Traditiones*. Et *minùs* adhùc certæ, cum à majori *intervallo* deducerentur, Ratiocinantium conjecturis immiſtæ, à *junioribus Chronologis*. Cautè itaque & modeſtè progrediendum arbitror, ut è *veris* ſaltem *veriſimilia* colligamus. Et facilis in tam lubrico labenti venia indulgenda eſt. Hac ſpe fretus mea quoque, qualia qualia ſint, cum Lectore communicabo.

I. *Hiſtoria* ipſæ per *hæc* tempora *incertæ*. Proinde *cautè* ſtatuendum eſt.

2. *Urbe* ipſâ *Agrigentinâ Phalaris* antiquior eſſe *non* potuit, quæ erat, cum ſcriberet *Pindarus*, centenaria.

Priùs ergo quàm *Ætatem* ejus conſtituo, *termini* quidam ſtatuendi ſunt *ultra* quos ne quidem expectanda ſit. Non erat certè *tyranno Agrigentino locus* antea quàm *condetur Agrigentum*. Proinde hujus *Urbis* ætas quærenda eſt. Et quidem hic teſtem habemus ab illius originibus non admodum remotum, majoremque adeo exceptione, *Pindarum*. Sic enim ille de *Therone*, ipſo quoque, pariter ac fuerat *Phalaris*, cive *Agrigentino* :

Pindar. Olymp. II. v. 166.

Αὐδάσομαι ἐνόρκιον
Λόγον ἀλαθεῖ νόῳ,
Τεκεῖν μήτιν' ἑκατόν
Γε ἐτέων πόλιν,
Φίλοις ἄνδρα μᾶλλον
Εὐεργέταν πραπίσιν, ἀ-
-φθονέστερόν τε χέρα,
Θήρωνος.

Manifeſtum eſt ſpatium hic deſignari ab ipſâ Urbis Agrigentinæ *fundatione*. Ea enim *Urbis* erat laus quòd tam *brevi* ſpatio ad tantas divitias progreſſa fuerat. Et ſanè hoc ipſo nomine inſignem fuiſſe obſervavit *Diodorus*. Nec aliò retulit junior Interpres. Pro *ætatis* tamen, qua ſcripſit, infelicitate, admodùm imperitè : Εἰ *μὲν τὸ τινὰ πρὸς τὸ ἄνδρα συνάψης πόλιν ἑκατὸν ἐτῶν, νοήσεις τὴν* Ἀκράγαντα. Ἐν γὰρ τῇ πεντηκοστῇ Ὀλυμπιάδι ἐκτίσθη· Θήρων δὲ ἐν τῇ ἑβδομηκοστῇ ἐνίκησεν. Ἐπειδὴ οὖν εἴκοσιν Ὀλυμπιάδες διὰ μέσου εἰσὶν, ἡ δὲ Ὀλυμπιὰς διὰ πέντε

πέντε χρόνων ἐγίνετο, ἑκατὸν χρόνων ἀριθμὸς γίνεται. Πεντάκις γὰρ εἴκοσιν ἑκατόν. Perperam ille *quinque* annos ſingulis tribuit *Olympiadibus*. Et perperam *victoriam* ejus *Olympiadi* aſſignavit LXX^a. cum nondum eſſet in Imperio *Theron*, ſi quidem fides *Diodoro*. In eo tamen *rectè* Argumentatus eſt, quod *victoriam Theronis* concluſerit *anno* Urbis ſuæ *centeſimo*. Victoriam ipſam *Olymp.* LXXVII. tribuit *antiquior* doctiorque *Scholiaſtes*. Indè ſi *centum annos*, Olympiades XXV. detraxerimus, ſupererit *Olympias* LII. quâ *condita* fuerit *Urbs* ipſa *Agrigentina*. Fieri quidem poteſt ut numero non *accurato*, ſed *rotundo*, Urbis Epocham deſignârit Poëta nobiliſſimus. Id ſi verum, *paulò* fuerint fortaſſe *plures* anni, vel etiam *pauciores*. *Magnum* tamen diſcrimen non patitur numerus vel *rotundus*. Nec certè longe abit ejuſdem Urbis Epocha à *Thucydide* aſſignata.

3. Rationes *Euſebianæ* conditarum *Syracuſarum* cùm *Thucydideis* optimè conveniunt.

Age ergo explicemus *Thucydidis* Chronologiam *Siculam*, quà ſaltem neceſſaria eſt ad Urbis *Agrigentinæ* origines inveſtigandas. Pendet illa omnis ab origine Urbis *Syracuſanæ*, conditore *Archiâ*. Sunt autem de hujus Urbis *tempore* ſententiæ omnino tres. *Prima* eademque antiquiſſima Chronici *Marmorei Oxonienſis*, quâ refertur ad annum *Æſchyli* Archontis *Athenienſis* pro termino vitæ XXI. Hic annus eſt, pro Tabulis noſtris Periodi *Julianæ* 3956. *Olymp.* V. 2. Chronici *Euſe-*

biani duplex Lectio eſt: alia Codicum *Pontaci*, qui conditas *Syracuſas* ſtatuunt *Olymp.* IX. 4. *Scaligeranorum* alia, qui annum deſignabant *Olymp.* XI. 4. Ut *Thucydidis* ſententiam exploratam habeamus, quærendum quæ harum Epocharum cum *Thucydidis* rationibus magis conveniat. Ait ergo *Thucydides Megarenſes Hyblæos* anno fundationis CCXLV. à Gelone Syracuſano tyranno ſedibus ſuis *Thucyd. L. VI. c.4.* ejectos eſſe: Ἔτη οἰκήσαντας πέντε καὶ τεσσαράκοντα καὶ διακόσια, ὑπὸ Γέλωνος τυράννου Συρακουσίων ἀνέστησαν. Innuit plane jam tum in *Syracuſanæ* Urbis tyrannide fuiſſe *Gelonem.* Hanc inivit *Olymp.* LXXIII. 4. Anni 245 *Olympiades* ſunt LXI. & *annus* præterea *unus.* Qui ſi ex Olymp. LXXIII. 4. demantur, ad annum pervenient Olympiadis XII. 3. qui *tertius* erat annus Urbis *Syracuſanæ* pro rationibus Chronici *Euſebiani Scaligeranis.* Sed V° demum à *Syracuſis* anno *Theuclem* cum ſuis *Chalcidenſibus Leontinos* condidiſſe Auctor eſt *Thucydides*, & deinde *Catanam.* Addit deinde, *κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον Megarenſes*, duce *Lamide*, coloniam *Trotilum* deduxiſſe & deinde *Thapſum*, pulſos autem *Thapſo Megarenſes*, *Megara*, quæ *Hyblæa* appellabantur condidiſſe. Hinc maniteſtò conſtat, pro rationibus *Thucydideis*, quinquennio ſaltem *Syracuſis Megara Hyblæa* fuiſſe recentiora, & proinde II° ſaltem tyrannidis *Syracuſanæ* anno à *Gelone* fuiſſe exciſa, nempe Olymp. LXXIV. 2. Admodum ſane commodé.

Nec

Nec multo *ſerius.* Paulo enim poſt *Carthaginienſes Geloni* ipſi moleſti erant, eodem tempore quo *Græcis* ipſe *Xerxes.* Tum non vacabat ut ipſe *aliis* eſſet moleſtus. Nec erant *Siculorum* præſertim animi ab eo alienandi. Ita conveniet examuſſim cum rationibus *Thucydideis* Lectio *Euſebiani* Chronici *Scaligerana.* Pro *Marmorei* Chronici rationibus, tantum abeſt ut initium Regni *Syracuſani* attingant *Gelonis* anni à fundatis *Syracuſis* 250 (qui tantundem valent ac anni à fundatis *Megaris Hyblæis* 245.) ut ne quidem Regni *Geloi* initium conſequantur. Anni enim 250 (ſeu *Olympiades* integræ LXII. cum annis *duobus*) Olymp.V. 2. additi Olymp. LXVII^{a}. annum conficient duntaxat 4^{m}. Cœpit quidem *Gelo,* fateor, Olymp. LXXII. 2. Et quidem, ut credidit *Pauſanias Syracuſis.* Quòd ſcilicet nihil ipſe compertum haberet de *Gelonis* initio *Geloo.* Inde colligit *Gelonem* illum *Dinomenis* filium qui *Olymp.* LXXIII. *victorem* ſe *Geloum* appellavit alium à *Tyranno* fuiſſe, hominemque adeo fuiſſe *privatum.* Sed vel inde colligere potuit, *nondum* illum *Syracuſis* Regnare cœpiſſe, cum *Gelous* appellaretur. Idque verum eſſe probat Auctor *Pauſaniâ* accuratior *Dionyſius Halicarnaſſæus,* qui Olymp. LXXII. non *Syracuſis Gelonem,* ſed *Gelæ* tyrannidem iniiſſe teſtatur. Sic enim habet : Τύραννοι δὲ τότε κατὰ πόλεις μὲν ἦσαν, ἐπιφανέστατος δὲ Γέλων ὁ Δεινομένους, νεωστὶ τὴν Ἱπποκράτους τοῦ ἀδελφοῦ τυραννίδα παρειληφώς. *Dionyſ Hal.* Antiq. L. VII. init.

Non tamen erat *Gelonis* frater *Hippocrates Gelous*, ſed *Cleandri*, qui *Hippocratem* in *Geloâ* tyrannide præceſſerat. Itaque fortè ſcribendum, τȣ̃ [Κλεάνδρȣ] ἀδελφȣ̃. Annum quidem tyrannidis *Geloæ* attingit numerus Chronici *Euſebiani Pontacianus*, ut obſervavit *Lydiattus*, non autem *Syracuſanæ*, de quâ loquitur *Thucydides*. Sed ne quidem ipſe tyrannidem *Gelonis* priorem *Geloam* exploratam habuit, cujus tamen teſtem habemus, præter *Dionyſium*, civem *Dionyſij* exceptione majorem, ipſum ſcilicet *Herodotum*. Itaque ſi pro mente *Thucydidis*, in *Thucydidis* rationibus ſupputandum ſit, nihil ſane habemus quod ad has rationes propiùs accedat quàm ſit illud initium *Euſebij Scaligerani*.

4\. Ex illis Urbis *Agrigentinæ* origo ſtatuitur *Olymp.* L. 1. ut in Scholiaſte *Pindari.*

Cæterùm ab hoc initio *Syracuſano* annos præterea XLV. numerat *Thucydides* ad coloniam *Gelæ*. Inde rurſus ad coloniam *Agrigentinam* annos ἐγγύτατα ὀκτὼ ϗ ἑκατόν. Additi annos conficient 153. *Olympiadas* nimirum integras XXXVIII. & annum præterea unum. Hi, ſi ad *Olymp.* XI. 4. accedant, ad annum conſurgent *Olymp.* L. 1. quo primùm condita fuerit Urbs *Agrigentina*. Planè ut junior ille *Pindari* Scholiaſtes, quanquam neſcierit juſtum modum *Olympiadum*, quo fuerint anni præterea *centum* ad *Pindari* ætatem numerandi. Vel inde ſuſpicio eſt, Auctorem aliquem *veterem* fuiſſe cujus fidem fuerit ſecutus, quanquam illum, quis fuerit, neſciamus.

mus. Alioqui certe, cum pro *annis centum* XX. duntaxat numeraret *Olympiades*, non *annum* collegiſſet, quo colonia *Agrigentina* deducta fuerit, *Olymp.* L. 1. ſed Olymp. LVII. 1. Nec enim potuit illum latere numerus *Olympiadis* quâ vicerit *Theron* LXXVII. à Veteri Scholiaſte traditus, è quo ſua fere omnia exſcripſit. Proinde, ſiqua fuerint Cl. *Bentleij* Argumenta (ut ſunt profecto multa) quæ hæc Epochâ *antiquiorem Phalaridem* faciant, non erit cur de illis admodum laboremus. Sunt enim teſtimonia quæ adduximus longe *propiora* veris *Phalaridis* temporibus, & proinde *certiora* quàm ſint illa quæ in contrarium opponuntur.

5. *Therone* certum eſt in tyrannide *Agrigentinâ* antiquiorem fuiſſe *Phalaridem.*

Age ergo jam viceverſâ videamus quibus demum limitibus, ex alterâ parte concludenda ſit hæc eadem, de quâ agimus, ætas *Phalaridis*. Et quidem, quà licet, à teſtimoniis *antiquiſſimis* & *fide* digniſſimis. Certum eſt *Therone* tyranno *Agrigentino* antiquiorem fuiſſe in ejuſdem civitatis *Agrigentinæ* tyrannide *Phalaridem*. Et certiſſimo conſtat *Pindari* teſtimonio. Ad ipſum ſcribit de ſuis victoriis *Theronem*. De *Phalaride* autem ita loquitur *Pindarus* quaſi *fama* duntaxat illius ad ſe, & coævos *ſibi* homines, emanâſſet. Nempe è *majorum* orta Traditionibus. Sic enim ille:

Τὸν δὲ ταύρῳ χαλκέῳ καυ-
-τῆρα, νηλέα νόον
Ἐχθρὰ Φάλαριν κατέχει παντᾶ φάτις·

Pind. Pyth. I. v. 185.

Οὐδέ μιν φόρμιγγες ὑπω-
-ρόφιαι κοινωνίαν
Μαλθακὰν παίδων ὀάροισι δέκονται.

Opponit illum *Crœſo*, cujus virtutis memoria quo minùs periret, λογίοις tribuit & ἀοιδοῖς, *Poëtis* ſcilicet ἐποποιοῖς & μελοποιοῖς, & λογοποιοῖς, ſcilicet *Hiſtoricis*. Pro illorum enim exemplo, & pro ſui Seculi more, ſimiliter *Hecatæum* Hiſtoricum ſemper λογοποιὸν appellat coævus *Pindaro Herodotus*. Hoc ergo volebat Poëta, tantùm abeſſe ut *publicis* in *Odeo* cantilenis celebraretur *Phalaris*, ut ne quidem in *domeſticis* Puerorum proprio judicio nullo utentium, ſed publicâ duntaxat *famâ* ductorum, *hymnis* locum obtinuerit. Poterat ergo adultorum, pariter ac impuberum, Argumentum eſſe, ſi id meruiſſet *Phalaris*. Non certè ſi admodum *nuperâ* fuiſſet memoriâ. Loquitur enim de *famâ* illâ poſterorum quæ *defunctos* poſt fata comitatur. Saltem cum *Therone* locum non potuit habere *Phalaris*. Dum ſcilicet *Thero* ipſe tyrannide potiretur. Deceſſit *Thero Olymp.* LXXVII. 1. cum ſcilicet annos XVI. tenuiſſet, teſte *Diodoro*. Sic *Olymp.* LXXIII. 1. inierit *Thero*. Nec multo antea inire potuiſſe, ex ipſo diſcimus *Pindaro*. Erat enim cum fratre *Xenocrate* communis victoria *Pythiis* XXIV. nempe *Olymp.* LXXII. $\frac{3}{4}$ propter communes in ἱπποτροφίᾳ expenſas. Proinde Ἐμμενίδαις eam tribuit ipſe *Pindarus*, non uni duntaxat

duntaxat Ἐμμενίδῃ. Rurſuſque alibi in hanc ſententiam diſertiſſimè ita ſcribit:

Πυθῶνι
Δ' ὁμόκλαρον ἐς ἀδελφεὸν,
Ἰσθμοῖ τε, κοιναὶ χάρι-
-τες ἄνθεα τεθρίππων
Δυωδεκαδρόμων
Ἄγαγον.

Pyndar. Pyth. VI. v. 5.
Pynd. Olymp. II. v. 88.

In quem locum ita ſcribit de *Therone* Scholiaſtes: Ἔχει δὲ καὶ κοινὰς πρὸς τὸν ἀδελφὸν Ξενοκράτην νίκας, ἐν Ἰσθμῷ καὶ Πυθοῖ. Ἐξ ἑνὸς γὰρ οἴκου πρὸς ἱπποτροφίαν διδόντες, καὶ ἀπὸ κοινῶν χρημάτων ἀμφότεροι καὶ ταῖς νίκαις ἐπεγράφοντο. Poſtea certè, cum *Theronis* tyrannidem *exploratam* habemus, *ſoli* victorias aſcriptas legimus, nec ullam deinceps cum *Xenocrate* fratre communem ἱπποτροφίαν. Proinde è coævo *Pindaro* admodum veriſimile eſt *Theronis* initium rectè conſtituiſſe *Diodorum*.

6. Imo *duobus Theronis* in tyrannide *Agrigentinâ* deceſſoribus. *Gelonis* duo in tyrannide *Geloâ* deceſſores ad Olymp. LXVIII. 4. pertigerunt.

Sed ſpatium, fateor, æquo *contractius* indulſeram inter mortem *Phalaridis*, ſucceſſionemque *Theronis*. Nec ſuccurrebat teſtimonium *Heraclidis* de *duobus* mediis inter *Phalaridem* & *Theronem* tyrannis, *Alcamene* & *Alcandro*, objectum à Cl. *Bentleio*. Nec ſatis expenderam ſucceſſiones inter *Telemachum* & *Theronem* quas in *Scholiaſte Pindari* obſervaveram antea quàm prodiret Viri doctiſſimi Defenſio. Itaque de *novo* tentandum, ſi forte

forte aliunde poſſit erui medium *duorum* tyrannorum *intervallum*. Erat ſane par fere *Theroni Gelon*, etiam in tyrannide *Syracuſanâ*. Annos enim tenuit VII. teſte non modò *Diodoro*, verumetiam meliore quàm fuerit *Diodorus*, teſte *Ariſtotele*. Defunctus eſt Olymp. LXXV. 3. Proinde Olymp. LXXIII. 4. tyrannidem *Syracuſanam* ſuſceperit, pro rationibus *Diodori*. Eâdem ſcilicet, quâ *Thero*, *Olympiade*. Sed *Gelæ* antea, ut vidimus, quàm *Thero*, tyrannidem occupaverat idem *Gelo*. *Olympiade* ſcilicet LXXII. 2. Ibi autem duos habuit in tyrannide *deceſſores*, teſte *Herodoto*, *Hippocratem* & *Hippocratis* fratrem *Cleandrum*. Singulos, ut vult idem Hiſtoriæ Pater, annorum *ſeptenorum*. Sic Olymp. LXX. 3. inierit *Hippocrates*, Olymp. LXVIII. 4. *Cleander*. Non, ut videtur, incommodé. Erat enim certè in *Gelæ* tyrannide *Hippocrates* cum *Zanclam*, ſuaſu *Anaxilai* tyranni *Rhegini*, occuparent *Samij* & *Mileſij*, poſt *Ariſtagoræ* defectionem, ex *Aſiâ* fugati. *Zanclæos* enim ejus fidem appellantes *Hippocrates* novis Urbis ſuæ occupatoribus cum Rege ſuo prodidit. Ut in tempora *Anaxilai Rhegini* incidat hæc proditio, Olymp. LXXI. 3. antiquior eſſe non potuit. Inde enim incipiunt anni *Anaxilai* XVIII. ad Olymp. LXXVI. 1. quo *mortem* ejus ſtatuit *Diodorus*. Nec recentior tamen *Olymp.* LXXII. 2. quo *Hippocrati* in *Gelâ* probavimus ſucceſſiſſe *Gelonem*. Medio aliquo inter hæc extrema anno

Herodot. VI. 23, 24.

anno *Zanclæos* veteres Urbe ſuâ à colonis *Aſianis* exutos fuiſſe neceſſe eſt. Aliunde annum fortaſſe *propiùs* attingemus. Colonia *Athenienſis* ab *Agnone* novem vias deducta Urbi ſuæ nomen dedit *Amphipolis*. Hanc Archonte *Euthymene*, Olymp. LXXXV. 4. deductam conſentiunt Scholiaſtes *Æſchinis* MS. atque *Diodorus*. Hinc annos numerat *Thucydides* LXI. ad coloniam quam, cum *Darium* Regem fugeret *Ariſtagoras*, eodem deducere tentaverat. Sed irrito conatu. Pulſus enim fuerat occiſuſque ab *Edonis*. Anni illi XV. ſunt Olympiades & unus annus. Detracti ab *Olymp*. LXXXV. 4. incipient ab *Olymp*. LXX. 3. tunc ergo coloniam deduxerit *Ariſtagoras*. Pulſos *Mileſios* poſt VI^m^ à defectione annum teſtatur *Herodotus*. Defecerant autem anno ad minimum, ut videtur, uno antea quàm de novâ coloniâ cogitaret, ut è rebus ab *Artapherne* geſtis, quæ ad conſilium de coloniâ deducendâ illum impulerint, facilè colligitur. Jam enim *Clazomenas* & *Cumen* occupaverant duces *Perſarum* cum de *coloniâ* conſilium cum *Hecatæo Mileſio* Hiſtorico iniret *Ariſtagoras*, ut ex eodem diſcimus *Herodoto*. Nec majus *annuo* ſpatium fuiſſe exinde ſuſpicio eſt, quòd nec conſcium defectionis ſuæ *Hiſtiæum* in *Miletum* ex aulâ *Perſicâ* reverſum viderit, & quòd mox primo *coloniæ* ſuæ *initio* à *Thracibus* oppreſſus fuerit occiſuſque. Addamus ergo prædictæ *Epochæ* annos quinque. Ita in

Thucyd. IV. 102.

Herodot. VI. 18.

Zanclam

Zanclam Olymp. LXXI. 4. venerint *Samij* exules atque *Mileſij*. Nec ſane longe, ut opinor, à raro hujus Coloniæ *tempore* diſcedent hæ rationes. Eſt & alia *temporis* nota quo fuerint in *Gelæ* tyrannide *Hippocrates*, vel (quod eodem redit) quo eſſe *non* potuerit, quòd jam rerum *Geloarum* potiretur ſucceſſor ejus in illâ tyrannide *Gelo*. *Camarinam Thucydides* ter conditam, bis dirutam fuiſſe, refert. Primo nempe conditam ἔτεσιν ἐγγύτατα πέντε καὶ τετάκοντα καὶ ἑκατὸν μετὰ Συρακουσῶν κτίσιν. Olymp. XLV. ut nos docet Scholiaſtes *Pindari*, qui eaſdem ſequitur, quas *Thucydides* ipſe, rationes. Dirutam primò ab ipſis conditoribus *Syracuſanis* Olymp. LVII. idem docet Scholiaſtes. Ab his illius Civitatis agrum accepiſſe *Hippocratem* pro captivis pretium *Syracuſanis*, & ab eo Urbem denuò reſtauratam uterque conſentit, tam *Thucydides* quam *Pindari* Scholiaſtes, & *Philiſtus* apud Scholiaſtem Auctor ipſe *Syracuſanus*. Denique à *Gelone* ſecundò dirutam, uterque conſentit. Malè tamen *Gelonis* excidium ad Olymp. XLII. retulit Scholiaſtes, & quidem Auctore, ut teſtatur ipſe, *Timæo*. Vix eſt quòd dubitemus quin pro μβ' *Timæus* οβ' ſcripſerit, cum ne quidem, primam *Camarinæ* originem adeo antiquam agnoverit ipſe Scholiaſtes. Imo ἅλωσιν illius (ſecundam ſcilicet cujus Auctor *Gelo*) κατὰ τὴν Δαρείου τοῦ Ὑστάσπου στρατείαν fuiſſe monet ipſe Scholiaſtes. Intelligit nempe Expeditionem *Marathoniam*

Thucyd. VI. 5.

Schol. *Pind.* Olymp. V.

thoniam Archonte *Phænippo Olymp.* LXXII. 3. Pro κατὰ repoſuimus μετὰ in *Annalibus* noſtris *Thucydideis*. Erat ergo tum *Gelæ* tyrannus *Gelo*, & deceſſerat illius proximus deceſſor *Hippocrates*. Nempe *Olymp.* LXXIII. 4. ut in *Annalibus* oſtendimus *Thucydideïs*.

Tenemus ergo hic duos *Gelonis* in tyrannide *Geloâ* deceſſores. Pares nempe illis qui poſt *Phalaridem* in tyrannide *Agrigentinâ* ſucceſſerunt ante *Theronem*. Inde conjecturam facere licebit de ſpatio *temporis* neceſſario ad duos *Phalaridis* in tyrannide *Agrigentinâ* ante *Theronem* ſucceſſores. Nec enim *longævas* fuiſſe horum temporum *tyrannides* jam olim obſervavit *Ariſtoteles*. Et tamen antea *Geloam* tyrannidem adeptus eſt *Gelo* quàm *Thero Agrigentinam*. Hucuſque autem non erat ſane locus *Phalaridi*, qui fuit *Siculorum* tyrannorum antiquiſſimus. Sic *Plinium* intelligo, non autem ut intelligit V. Cl. quòd fuerit omnium *ubivis gentium* tyrannorum antiquiſſimus. Hoc ſane falſum eſſe probavit ipſe Cl. *Bentleius*. Sed è *Siculo* aliquo Auctore hauſit illud, ut videtur, *Plinius*. Nec alios quam *Siciliæ*, quæ fuerat illo *tyrannorum* nomine celeberrima, *tyrannos* ob oculos videtur habuiſſe Auctor ille, quicunque demum is fuerit, *Siculus*. Inde *Adagij* loco *Siculos tyrannos* habet *Juvenalis*. Et annum quo defecerint *tyranni Siculi*, libertate Civitatibus *Siciliæ* ſaltem *Græcis* ubique reſtitutâ, pro inſigni

7. *Cleandro Gelæ tyranno antiquior videtur fuiſſe Phalaris.*

inſigni Epochâ habent *Diodorus* & *Euſebius*. Addit *Diodorus* ſpatium ab hac primâ *tyrannidis* in Sicilia *dejectione* ad ortum majoris *Dionyſij*. Hinc intelligimus, à proximis *Phalaridi* temporibus, in multis *Siciliæ* Urbibus fuiſſe *tyrannorum* ſucceſſiones ſibi invicem ita *nexas*, ut libertatis reſtauratæ Epocham, quàm ab *ultimi* tyranni fugâ arceſſit, à *Thracidæi* exilio cenſeat. *Finem* quidem hujus ſucceſſionis deſignavit *Diodorus*, non item, quo tenuerit, *Spatium*. Spatium tamen ſubjunxit ab *ultimo* hujus ſeriei tyranno ad *Dionyſium*. Si ab hoc fine ad primum tyrannum ſpatium addidiſſet, non dubito quin fuerit incepturus à *Phalaride*. Interim inuit initium *antiquius* eſſe *Annalibus* ejus, qui quidam extant, *hodiernis*. Id quoque ſatis congruè pro noſtris rationibus de ætate *Phalaridis*. Solus enim fuit, poſtremis ſaltem illius temporibus, ſi quidem verè *Suidas* eum *Siciliæ univerſæ* imperâſſe tradiderit. Si rectè etiam obſervarit *Ælianus*, amaſios in eum conjurantes, illius juſſu *Siciliâ univerſâ* exulâſſe. Poterat autem *coævos*, paulo tamen *juniores*, *tyrannos* habere *Phalaris*, quibus imperârit, ut habuit *Reſpublicas*. Imo tentum in *Sicanis* principem victum à *Phalaride* memorat *Polyenus*, V. 1.4. Quòd tamen à *Cleandro* cœperit perpetua tyrannis *Gelæ*, vel inde ſuſpicio eſt *Cleandri* tempora *Phalaridis* temporibus eſſe recentiora. *Quanto* recentiora fuerint, aliunde indagandum eſt.

Eſt

Scholiaſtarum vel *Vetuſtiſſimorum* teſtimonia de his *Phalaridis* temporibus *fidem* non merentur.

Eſt ergo aliud Argumentum, unde ſpatium inter *Phalaridem* & *Theronem* colligit 8.
Cl. *Bentleius* multo quàm nos credidimus, imo quàm etiamnum credimus, amplius. Nempe è *ſtirpe Theronis* ductum in quâ locum habuerit *Telemachus* quem volunt conjurationis Auctorem fuiſſe quâ perierit ipſe *Phalaris.* Ab hoc quartum *Theronem* numerari obſervavit Vir Cl. è Scholiaſte *Pindari.* Sic *tribus* à *Phalaride* γενεαῖς diſtabit *Thero,* quas tantundem valere ac *centum* annos colligit vir Eruditus ex *Herodoto.* Hoc tamen verum eſſe non poſſe è limitibus jam probatis abunde, niſi fallor, evicimus. Nam è jactis Urbis *Agrigentinæ* fundamentis *Olymp.* L. ad *Cleandri* initium *Olymp.* LXVIII. 4. *Olympiades* ſunt XVIII. & tres *anni,* nempe anni in univerſum LXXV. Dedimuſque illius rei teſtimonia fide digniora quàm ſint illa quibus uſus eſt vir doctiſſimus, *Pindarum* ſcilicet ipſum atque *Thucydidem.* Ne quidem id verum eſſe poſſe, ſaltem *Olymp.* L. 1. periiſſe *Phalaridem,* quod colligit ratiociniis è *Xenocratis,* qui *Theronis* frater erat, *ætate* petitis, ex iiſdem conſtat Teſtimoniis. Sic enim ipſo coloniæ *initio* perierit, nec *ſpatium* habuerit Tyrannidis *exercendæ.* Negandum potius partem aliquam in cæde *Phalaridis* habere potuiſſe *Telemachum* ſi ſpatio tam longo *Theronem* anteceſſerit. Nec enim ſunt cum *Pindaro* aut *Thucydide* conferendi *Scholiaſtarum* vel *Vetuſtiſſimi.* Tam longe enim abſunt

abſunt illi ab ætate *Phalaridis* ut ne quidem res *Pindaro* aut *Thucydidi* coævas aliunde exploratas habeant quàm ex Auctoribus *Pindaro*, & *Thucydide* junioribus. Bibliothecis *Alexandrinâ* atque *Pergamenâ* juniores ſunt *Scholiorum antiquiſſimorum* Auctores *Grammatici*, & proinde *Ptolemæis* Regibuſque *Pergamenis*. Inde tantæ illæ, tamque frequentes, de *ſenſu* Auctorum, in quos ſcribunt, vetuſtiſſimorum *diſcordiæ*. Quòd ſcilicet incertis *ratiociniis*, vel pugnantibus invicem *monumentis*, accepta omnia retulerint. Jam alibi oſtendimus primos *Hiſtoricos Græcorum Phalaridis* vel *ætate* fuiſſe *juniores*. Oſtendimus primorum Hiſtoricorum *Traditiones* parum *accuratas* fuiſſe atque invicem *diſcordes*. Imo hoc ipſum è *Plutarcho* obſervavit ipſe Dominus *Bentleius*, tam in *Solone* quàm etiam in *Themiſtocle*, & in Factis *Phalaride* aliquanto junioribus. Poſt *Bibliothecas*, quas dixi, *Publicas*, inventi ſunt Canones *Chronici Timæi*, *Eratoſthenis*, *Apollodori*, è collatis invicem *Magiſtratuum* ſucceſſionibus, quibus *incerta* fuerint à *certis* internoſcenda. Itaque pro *certis* habenda *non* ſunt in hiſce tam *antiquis*, de quibus agimus, *temporibus* quæ non melioribus fulciuntur, quàm *Scholiaſtarum*, teſtimoniis.

9. *Pindari* Scholiaſtæ teſtes *Hiſtoricos* nullos fuiſſe veriſimile eſt cæſi à *Telemacho Phalaridis*.

Sed miſſa illa interim faciamus. Sunt certè multa in hoc ipſo Viri Eruditi Argumento admodum incerta. Imo quæ propriis & è ſe natis Argumentis ſuam produnt incertitudinem.

titudinem. Imprimis *Telemacho* partem fuiſſe in cæde *Phalaridis* teſtem neminem habet præter illum ipſum, quem dixi, *Scholiaſtem.* Nec *teſtem ſe vetuſtiorem* adduxit ipſe *Scholiaſtes*, qui tamen ſolet, de hujus Seculi Hiſtoriâ, Auctores adducere, cum ſuppeterent, quorum fidem ſequeretur. Hallucinatur autem D. *Bentleius*, cum *Hippoſtratum* hujus facti teſtem à Scholiaſte advocatum aſſerit, *p.* 45. Vel inde ſuſpicio eſt *ratiociniis* hæc illum debuiſſe potiùs, quam *Hiſtoricis* teſtimoniis. Imo ſuſpicionem non inanem fuiſſe produnt quæ ex ipſo diſcimus *Scholiaſte.* Dixerat è *Theronis* majoribus *Pindarus :*

Καμόντες οἱ πολλὰ θυμῷ,
Ἱερὸν ἔσχον οἴκημα
Ποταμῷ, Σικελίας τ᾽ ἔσαν
Ὀφθαλμός.

Pindar. Olymp. II. *v.* 15.

Urbem nimirum *fluvio* cognominem à *Theronis* majoribus conditam innuit ipſe *Pindarus.* Ea nota Urbis *utriuſque* communis erat, tam *Gelæ,* quàm etiam *Agrigenti.* Habuit enim *urbs* utraque *fluvium* ſibi *cognominem.* Quæ ergo Urbium harum intelligenda eſſet, in eo diſcrepabant invicem *Scholiaſtæ Pindari* Grammatici. *Artemon Pergamenus* Bibliothecæ, ut videtur, *Pergamenæ* Grammaticus, de *Gelâ,* potiùs quam de *Agrigento*, verba *Pindari* intelligenda eſſe cenſuit. Deditque, cur ita ſentiret, non abſurdam ſane

rationem. Eam ita refert Scholiaſtes: Τὸ δὲ καμόντες, ἔφη προσήκειν μᾶλλον ἀκούειν, ὑπὲρ τῶν τὴν Γέλαν ἐκτικώτων, ἀλλ᾽ οὐ τὴν Ἀκράγαντα. Οἱ μὲν γὰρ ἀπὸ τοῦ ῥᾴστου συνῳκίσθησαν· οἱ δὲ χαλεπῶς καὶ μόλις. Ἀντίφημος γὰρ ὁ Ῥόδιος, καὶ Ἔντιμος ὁ Κρὴς οἵ τινες εἰς Γέλαν στείλαντες ἀποικίαν, πρῶτον μὲν περὶ τὴν συναγωγὴν ἔκαμον οὐ μετρίως, συναθροίζοντες τοὺς ἐκ Πελοποννήσου καὶ Ῥόδου καὶ Κρήτης, εἰς τὸ περὶ τὸν διάπλουν, εἶτα περὶ τὸν οἰκισμόν, καὶ πάλιν διαγωνισάμενοι πρὸς τοὺς Σικανούς. Hunc *Artemonem* aliquoties Ἱστορικὸν appellat *Scholiaſtes.* Erant enim è *Grammaticis*, qui in *Poëtas* vetuſtiſſimos ſcripſerunt, nonnulli qui ſeorſim ex *Hiſtoriis* colligerent quæ ad Auctorem illuſtrandum facerent. Hoc functus eſt officio in *Nazianzenum Nonnus*, vel potius *Maximus*, ut è *Joanne Tzetze* obſervavit rectiſſimè Dominus *Bentleius.* Et ſimiles in *Apollonij Rhodij* Scholiaſte legimus *Hiſtoriarum collectores* quæ aliquatenùs *Apollonium* explicarent. Hoc ergo cenſu *Hiſtoricus* erat *Artemon.* Imo præ reliquis qui *Hiſtoriis* à *Pindaro* memoratas collegerant, egregius. Ὁ σφόδρα τὰ περὶ τοὺς Σικελιώτας
In Iſthm. II. πεπολυπραγμονηκώς. Hoc præconio ornatur à *Scholiaſte.* Itaque, in *Hiſtoriâ*, præſertim *Siculâ*, præ aliis audiendus eſt. Sed verò ſi in *Gelâ* condendâ pars aliqua *Telemacho* fuerit, in *Agrigento* partem nullam habere potuit quàm *Gela* annis CVIII. *recentiorem* facit certè *Scholiaſte* major *Thucydides.* Nedum in

in *morte Phalaridis* quæ multis adhuc *annis* initio Urbis *Agrigentinæ* recentior erat. Vel inde conſtat *Siculum* Hiſtoricum nullum, qui cæſum à *Telemacho Phalaridem* tradiderat, compertum habuiſſe rerum *Sicularum* tantum Auctorem *Artemonem*. Quòd quidem labores majorum *Theronis* à *Pindaro* memoratos ad coloniam *Gelæ* retulerit, hoc pro λήρῳ in *Artemone* habuit reprehenditque alius Grammaticus eo junior *Menecrates*, forte diſcipulus *Ariſtarchi*, in quâ deducendâ negat ullos fuiſſe *labores*. Non tamen negat *Menecrates* quin *Geloæ* coloniæ deducendæ intereſſe potuerit *Telemachus*. Ne quidem ipſe urget cædem *Phalaridis*, in quâ fuerit opera *Telemachi*, temporis fuiſſe *recentioris*. Nedum *Hiſtoricum* aliquem teſtem advocat qui conjurationis in *Phalaridem* participem fecerit *Telemachum*. Hic ſane neceſſe erat, ſi quis fuiſſet illius *Facti* teſtis *Hiſtoricus*, ut ab alterâ ſaltem parte advocaretur. Qui cum nullus appareat, proinde veriſimilius eſt ut ſuis potius *Ratiociniis*, quàm *Hiſtoricâ* fide, fretus hæc effuderit *Scholiaſtes*. Erant ſane, fateor, qui *Theronis* προγόνους mox à *Rhodo*, non *Gelam* dicerent, ſed *Agrigentum* tenuiſſe. Sed nullius *Hiſtorici* vel *nomen* præ ſe ferentes. Schol. in *Pind.* Olymp. II. 16, 17. Hoc ſuis *Ratiociniis* conficiebant ex aliis *Pindari* verbis quæ in *hodiernis* illius *Scriptis* minime reperiuntur. Illis nimirum:

Schol. in *Pind.* Olymp. II. 16, 17.

Ἂν ἢ Ῥόδον κατῴκισθεν
Ἐν δ᾽ ἀφορμαθέντες
Ὑψηλὰν πόλιν ἀμφινέμονται·
Πλεῖστα μὲν δῶρ᾽ ἀθανάτοις ἀνέχοντες
Ἕπετο δ᾽ ἀεννάου πλούτου νέφος.

Sed ne quidem his verbis *nomen* aliquod *Civitatis* occurrit. Nihil ergo eſt unde colligatur quæ harum Civitatum potiùs intelligenda ſit. Sed profectò *Rhodiorum* colonia quæ *Antiphemo Rhodio* & *Entimo Cretenſi* ducibus deducta eſt, *Gelam* condidit, non *Agrigentum.* Agnoſcit hoc non modò *Scholiaſtes*, ſed teſtis Scholiaſti anteferendus ipſe *Thucydides.* Imo *Thucydidi* etiam anteferendus *Herodotus*, VII. 133. *Gelæ* ergo κτιστὴς erat *Antiphemus*, & proinde comes *Antiphemi* ex ipsâ *Rhodo Telemachus.* Rectéque adeo *Rhodiorum* coloniam *Agrigentum* cenſet *Polybius.* Quà ſcilicet *Geloi* ipſi *Rhodij.* Inde loci primo muniti nomen *Lindij*, hoc etiam obſervante *Thucydide*, & Jura *Gelæ*, eodem teſte, *Dorica.* Nempe è *Lindo Rhodiorum.* Coloniam *Agrigentinam*, non *Rhodij* proximè, ſed *Geloi* deduxerunt, & aliis coloniæ ducibus *Ariſtoneo* & *Pyſtilo*, non aliter profectò *Rhodij*, quàm quà *Geloi.* Hîc itaque *novos* nullos legimus è *Rhodo* ipsâ *colonos.* Hæc etiam nos idem docet *Thucydides.* Et *labores* illos quos *Theronis* majoribus tribuit *Pindarus*, ad *priorem* hanc coloniam rectiùs retulerimus, quos patriæ ſeditio impulit ut de *coloniâ* cogitarint.

Ita

Ita certè Grammaticorum Princeps *Ariſtarchus.* Ὁ μὲν Ἀρίσταρχος φησι (inquit Scholiaſtes) διὰ τὸ κεκμηκέναι τοὺς τοῦ Θήρωνος πατέρας κατὰ τὴν Ῥόδον, τῶν πραγμάτων στασιαζομένων, καὶ οὕτω τὴν μετοικίαν εἰς τὴν Σικελίαν στειλαμένων. Et ſatis commodè verba *Pindari* in hanc ſententiam interpretatur ipſe *Scholiaſtes.* Verba ejus meritò notanda ſunt: Ὁ λόγος καθαρός· ἐπεὶ περὶ τῶν προγόνων τοῦ Θήρωνος. Οἱ πρῶτοι μὲν ἦλθον εἰς Γέλαν, κἀκεῖθεν εἰς Ἀκράγαντα. Οὐ γὰρ λέγει ὁ Πίνδαρος, ὅτι καμόντες τὴν Ἀκράγαντα ἔκτισαν· ἀλλ' ὅτι καθόλου καμόντες πολλὰ τοῦ Θήρωνος οἱ πρόγονοι, ἔσχον τὴν Ἀκράγαντα. De προγόνοις *Theronis,* non de *Telemacho,* verba ipſa *Pindari* interpretatur, quòd tandem ἔσχον τὴν Ἀκράγαντα. Innuit nimirum *Telemachum* ipſum, qui *primus erat* eorum qui in *Siciliam* venerunt, *Theronis* majorum, ne quidem *Agrigentum* tenuiſſe, ſed alium aliquem προγόνων *Telemacho* juniorem. Quomodo ergo potuit *Agrigenti Phalaridem* conficere? Eodem ſpectat & alius *Pindari locus* quem è *Scholiaſte* modò recitavimus. Sed aliam ex *Hippoſtrato* rationem adduxit *Scholiaſtes,* cur *Agrigentum* potius *Pindarus* deſignarit: Ἱππόστρατος ἢ ἱστορεῖ αὐτὸν πλούτῳ διενηνοχέναι. Ἀλλ' οἵγε πρόγονοι τῶν Ἀκραγαντίνων Γελῷοι οὐχ οὕτως εὐπορήκεσαν, ἀλλὰ καὶ πᾶν τοὐναντίον μόγις καὶ ταπεινῶς διέζων, ἐπὶ φυλακῇ τῆς πόλεως μισθανοῦντες. Sed *poſterorum* illas, non *majorum,* fuiſſe *divitias* voce ἐπεῖσθαι innuit

ipſe *Pindarus.* Quod ſi coloniæ *Geloæ* originem *Telemachus* referendus ſit, jam facilè intelliget Vir doctiſſimus, noſtrâ intereſſe ut *plurimæ* fuerint inter *Telemachum* & *Theronem* mediæ γενεαί. Nihil certè *nocebunt*, modò *Agrigenti* non adſuerit *Telemachus*, nec *conſcius* inſidiarum in *Phalaridem.*

10\. Scriptorum *Genealogicorum*, primorumq; *Hiſtoricorum* fides admodum incerta.

Sed verò, ut melius de hujus *Facti* veritate conſtitiſſet, *Auctorem* fuiſſe *Scholiaſtæ* cur ita crederet, & quidem *fide* dignum, quales pauci admodum fuerunt de Seculo *Phalaridis*; ne quidem id ſufficeret, ut, quod inde colligit Vir doctus, verum eſſe probetur. Sunt enim omnes *Genealogiarum* Auctores, in his præſertim temporibus, *fidei* incertiſſimæ. Dum ſcilicet rei geſtæ *majorum* duntaxat *Traditione* poſteris innoteſcerent, non item publicis ſcriptoque commiſſis Hiſtoriæ *monumentis.* Hucuſque enim licuit cuilibet de *ſtirpe* ſuâ, quodcunque placebat, pro arbitratu ſuo comminiſci, dum nulla eſſent etiamnum in *Archivis* probatæ fidei *Archetypa*, aut quæ aliunde innotuerint *Scriptis* commiſſa, ad quæ poſſit fieri provocatio. Nihil erat hominum *memoria* vetuſtius quo *proſapiæ* fides aſtrueretur, niſi *cippi* fortaſſe ſepulcrales hominum quorundam inſignium qui *avos cierent.* Nec enim vulgo ultra *avos* progredi ſolebant. Nondum autem conſtitutâ *Sepulcrorum familiarumque* Religione, multis adhuc erroribus locus erat in nectendis invicem *cipporum ſepulcralium*

pulcralium titulis. Sed in antiquiſſimis *Græcorum* Inſcriptionibus, quarum ſpecimina ab *Amphitryone* uſque exhibet *Herodotus*, V. 59, 60. ne quidem *patrum* nomina occurrunt. Ita nullum erat auxilium junioribus *Genealogiarum* collectoribus in his *Monumentorum* Inſcriptionibus. Meminerimus iterum primos harum ſtirpium *Genealogiarum* collectores fuiſſe *Poëtas* primis *Hiſtoricis* antiquiores; & primos *Hiſtoricos* in eo fere tantummodo à *Poëtis* diſcrepaſſe quòd Oratione ſcripſerint *ſolutâ*. Fabulas enim à majorum Traditione primos *Poëtas* accepiſſe teſtis eſt *Strabo*, non *Strab.* L. I.
autem ipſos confinxiſſe. Et majorum illas p. 19, 20.
eaſdem Traditiones Fabulis immiſtas *primi* fere omnes Græcorum complectebantur *Hiſtorici*. Hoc ſane verum fuiſſe docet *Diodorus*. Sic etiam *Diodorum* ſuffragio ſuo comprobat *Diodor.* L. I.
Strabo, ut primos *Poëtas* magis de *Factis* au- p. 33.
diendos eſſe aſſerat quàm qui proximè illorum ætatem attigerint, *Hiſtoricos*. Sed verò *Strab.* XI.
à *Poëtis* nemo *Factorum* veritatem præſtan- p. 507, 508.
dam expectat. Satis illi muneri ſuo ſatisfeciſſe creduntur ſi receptis ſuorum temporum *opinionibus* uſi fuerint, utcunque incertis, utcunque inter ſe *pugnantibus*. Nec aliter de *Hiſtoricis* antiquiſſimis ſentiendum eſt. De *Styli* nitore & jucunditate & utilitate ad *Lectorum* animos imbuendos magis ſoliciti erant, quàm de *rerum* geſtarum *veritate*. Hoc certe reprehendit in ſuis deceſſoribus Scriptor graviſſimus *Thucydides*, qui primus L. I.

ipſe fortaſſis operam dedit ut res verè geſtas à *Fabulis* paſſim receptis internoſceret. Fruſtra certè hujus generis ἀκρίβειαν ab hujuſmodi Scriptoribus expectabimus.

11.

Genealogiarum Græcarum primus Auctor fuiſſe videtur *Acuſilaus Argivus*, nullâ prorſus *Archivorum* fide.

Primus, ut videtur, erat, aut non *longe* à primis, qui in hoc verſabantur *Genealogiarum* Argumento, *Acuſilaus Argivus*, quem Ἱστορικὸν πρεσβύτατον appellat *Suidas*, & quem primis *Hiſtoricis* & *Solutæ* Orationis Auctoribus accenſent etiam alij *Suidâ* meliores Auctores. Unde ergo Ille? Non certè è *publicis*, imo ne quidem è *privatis* familiarum, *Archivis*. Nec erant adhuc eo *antiquiores*, quos ſequeretur, *Hiſtorici*. Alia ejus ſubſidia narrat *Suidas:* Ἔγραψε δὲ γενεαλογίας ἐκ δέλτων χαλκῶν, ἃς λόγος εὑρεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ ὀρύξαντά τινα τόπον τῆς οἰκίας αὐτοῦ. Hoc erat nimirum familiare Impoſtoribus, ut cum *falſa* aliorum fidei obtrudere vellent, viſa à ſe, quæ *aliorum* diligentiam fugerant, *monumenta* comminiſcerentur. Eo nempe futuri tutiores ſi nulla ſuppeterent aliunde Argumenta quibus poſſent redargui. Ita *Panchaiæ Stelas* ſacras venditabat pro ſuis commentitiis Hiſtoriis *Eumerus Meſſenius.* Ita *columnas Thoth* fictitius *Sanchoniathon.* Ita *Damidis Aſſyriis* Libros *Aſſyriâ* linguâ ſcriptos *Philoſtratus* pro vitâ Impoſtoris *Apollonij.* Et Librum novum de Actis Concilij *Nicæni* à ſe repertum teſtem advocat *Gelaſius Cyzicenus.* Et *Pſeudo-Dorotheum* teſtem ſucceſſionis Epiſcoporum

ſcoporum *Byzantinorum* à S. *Andreâ* Apoſtolo ad *Metrophanem* confinxere *Conſtantinopolitani.* Nec aliter juniores. Codicem *Oxonienſis* Archidiaconi appellat *Galfridus Monumethenſis*, & neſcio quem *Veremundum Hector Boëthius.* Suſpectam harum *Genealogiarum* fidem hoc ipſum facit, quo aſtruuntur, teſtimonium nemini alteri exploratum, præterquam ipſi *Acuſilao.* Et tamen hac tam ſubleſtâ fide niti ſuſpicor antiquiſſimas *Eumeli* ipſiuſque *Heſiodi* Genealogias. Communia multa in illis fuiſſe conſenſus omnium eſt. Inde factum ut *Eumelium* & *Acuſilaum* plagij accuſet *Clemens*, quaſi ipſi ſurripuerint ab *Heſiodo.* Sed non facilè mihi perſuadeo commentis alienis, quæ jam palam edita in luce hominum, verſarentur, fidem ita conciliare voluiſſe *Acuſilaum.* Imo ne quidem opus erat ut celeberrimorum *Poëtarum* teſtimonia tam futili commento confirmaret. Et fruſtra ſperare illum oportuit fore ut *lateret* ſi ex inſigniſſimorum *Scriptorum* ſcriniis ſurrepta pro ſuis venditâſſet. Fecit proculdubio recepta de *Heſiodi* Antiquitate ſententia, ut quæcunque illi cum aliis communia repererentur, ea *alij* potius ab *illo*, quàm ab *aliis ipſe*, hauſiſſe crederetur. Sed *primas* fuiſſe veriſimillimum eſt, nec ab aliis viſas, *Genealogias*, quæ fuerint è *terrâ* eruendæ. Et tanta *temporum* eſt, in hoc præſertim, quo verſamur, intervallo *incertitudo*, ut nihil pugnet quo minus ab *Acuſilao* ſua mutuò accipere

potuerint,

potuerint, tam *Eumelus*, quàm *Heſiodus*. Ait quidem *Joſephus Acuſilaum Medicis* fuiſſe antiquiorem. Nempe antiquioribus *Darij Hyſtaſpidæ Medicis*. Sed nullo prodito, quo fretus ita aſſeruerit, *Auctore*. Nec ullo rerum geſtarum nexu cum rebus *Darij*. Hanc tamen *ætatem* antiquiſſimorum *Hiſtoricorum* ſuorum faciunt *Græci*, quibus hunc accenſent *Acuſilaum*. Et *Eumelum* pariter *Hiſtoricorum*, ac *Poëtarum*, ſenſu complectuntur. Quid ergo obſtat quo minus ſua nonnulla debere potuerit *Hiſtorico antiquiſſimo*? Non me quidem fugit primis *Olympiadum* initiis ſtatui *Eumelum Corinthium*. Tertiæ, itemque Decimæ, Olympiadi apponit *Euſebius*. Et ſane illis temporibus floruiſſe neceſſe eſt, ſi quidem Προσόδιον in *Delum* ſcripſerit, *Phintiâ* apud *Meſſenios* regnante, ſub quo
Pauſ. Meſſ. c. 4. prima contigerint diſcordiæ ſemina inter *Lacedæmonios* & *Meſſenios*, ut credit *Pauſanias*. Sed è Scriptis *Eumelo* imputatis ſolum illud *Proſodium Eumeli* genuinum eſſe concedit idem *Pauſanias*. Scripta ergo *Genealogica* nihil vetat quin *Acuſilao* recentiora eſſe potuerint. Et nos *Heſiodum* recentiorem, quàm vulgo creditur, fuiſſe vicimus. Eſtque ſane *Medorum*, *Græcis* ſeſe rebus immiſcentium, Epocha antiquior illâ *Darij Hyſtaſpidæ*. Nempe à *Cyro*, rebuſque in *Græcos Aſianos* geſtis ab *Harpago*. Fierique poteſt ut hanc Epocham intellexerint, qui primos *Græcorum* pedeſtres Scriptores & *Hiſtoricos* paulo *Medicis*

dicis

dicis antiquiores fecerint, quod tamen malè poſteri retulerint ad Expeditionem *Marathoniam Darij Hyſtaſpidæ*. Ita certè fuiſſe neceſſe erat, ſi quidem ſub *Cambyſe* ſcripſerit *Theagenes Rheginus*, ut vult *Tatianus*. Non ſtylo ſcilicet tantummodo *ſoluto*, ſed de Argumento etiam *Hiſtorico*, ætate nimirum *Homeri*. Sic potuit ſua nonnulla *Acuſilao* debuiſſe ipſe etiam *Heſiodus*. Et tamen *Heſiodi* pleraque, ſuis etiam *Bœotis* ſuſpecta fuiſſe docet *Pauſanias*. Imo Καλὰς Ἠοίας ſuſpectorum claſſe complectitur. Ita *Genealogicorum* Auctor *Heſiodo* paulo *junior* eſſe potuit, nec ullo incommodo junior *Acuſilao* antiquiſſimo *Hiſtoriographo*. Ita ſuſpectæ ſunt hæ *Genealogiarum* origines. *Pauſan. Bœot. c.* 31.

12. Ita ſe rem habuiſſe vincunt tantæ illæ Genealogiarum *diſcordiæ*. Primarum fidem ſubleſtam oſtendit quòd earum fidem non ſequerentur *recentiores*. Nec meliorem fuiſſe quam ipſi attulerint, exinde colligitur, quòd ne quidem *ipſi* inter ſe conſenſerint. Nec enim mirum erat, diſcrepare invicem inventa Impoſterum, nec variorum locorum, gentium, Seculorumque de hominibus iiſdem *Traditiones* nullâ *Archivorum Originalium* fide ſuffultas. *Carani*, à quo Reges *Macedonum*, proſapiam ita recenſet *Diodorus* à *Temeno* à quo VII^m fuiſſe dicit: 1. *Temenus*, 2. *Ciſſius*, 3. *Theoſtius*, 4. *Merops*, 5. *Ariſtodamidas*, 6. *Phidon*, 7. *Caranus*. Sic ille è multis in quorum

Genealogiarum fidem incertam produnt frequentiſſimæ illarum temporibus antiquiſſimis diſcordiæ.

Ap. *Syncel.* p. 262.

quorum numero erat *Theopompus.* Longe tamen aliter *alios* ſtirpem eandem deduxiſſe, teſtis idem erat *Diodorus.* Hanc nimirum in modum: 1. *Temenus*, 2. *Lachares*, 3. *Deballus*, 4. *Eurybiadas*, 5. *Cleodius*, 6. *Crœſus*, 7. *Pæan*, 8. *Caranus.* Nec *numerus* majorum, nec media *nomina* ulla conveniunt. Sic & in veterum Poëtarum *Scholiis* frequentiſſimæ ſunt hujuſmodi *Genealogiæ*, rarò admodum ſibi *conſentaneæ.* Et *eorundem* hominum *Patres Matréſ*que variæ occurrunt, pro *Genealogiarum*, quarum fidem ſecuti fuerant *Scholiaſtæ*, varietate. *Protogenia Deucalionis* & *Pyrrhæ* filia vulgo habetur. Et tamen eandem *Opuntis* filiam fecit ipſe *Pindarus.* Sic & *Cinyram Cypriorum* Regem nonnulli *Apollinis* & *Paphiæ* filium fecere, nonnulli *Eurymedontis* & nymphæ *Paphiæ.* Inde ejuſdem *hominis* varia, ut plurimùm creduntur fuiſſe *nomina*, ut ita conciliare viderentur invicem illas Genealogiarum *diſcordias.* Ita factum ut *eundem* fuiſſe crediderint *Deucalionem* & *Opuntem.* Inde *Penelopes* nomen aliud *Arnea* fuiſſe putatur. Inde *Coronis Æſculapij* mater *Neſonis* appellata, ſi quidem *Pindari* Scholiaſten audiamus. Vel ſic tamen alia ab *Arſinoe Leucippi filiâ* quam ejuſdem Herois *matrem* alij cenſuere. Proinde *Pythij* ipſius Oraculum conſultum tradit *Pauſanias*, ut Matrem *Æſculapij* à Patre diſcerent. Perperam ſane ſiqua fuiſſet hujus ſtirpis *fides* firma è terreſtribus *Archivis.* Multa hujuſmodi diſcre-

Schol. in *Olymp.* IX. p. 109, 111.

Schol. *Pindar.* in *Pyth.* II. p. 183.

Scholiaſt. *Pind.* p. 111.

Pauſan. Cor. c. 26.

diſcrepantium *Genealogiarum* ubique paſſim occurrunt exempla. Facilius ſane ferenda in temporibus *Mythicis* quæ fere omnia à *Poëtis*, & pauca admodum, ſi qua fortaſſe ulla, è majorum *Traditionibus* nullâ *Archivorum* fide fretis nata exiſtimantur. Etiam his ipſis, in quibus verſamur, veræ *Hiſtoriæ initiis*, Genealogias reperimus non ſatis ſibi *conſentaneas:* Ipſe *Pindarus* ab aliis *Daiphanti* filius ſuiſſe dicitur, ab aliis *Scopelini*, ab aliis *Pagonidæ*. Et tamen *Olympiadem* LXV^m· non *ſuperant* illius *Natales*. Sic Patres *tres* tribuuntur *Epimenidi*, *Pheſtius*, *Deſiadas* & *Ageſarchus*, quibus addunt alij præterea *Bolum*. Sic duo *Archelao Socratis* Præceptori, *Apollodorus* ſcilicet & *Mydon*. Sic *Æſchini* Philoſopho ſimiliter duo, *Charinus* & *Lyſanias*. Sic & *Empedocli* duo, *Meto* & *Exænetus*. Sic *Epicharmo* quatuor, *Elothales*, *Tityrus*, vel *Chimaru* & *Sicides*. Saltem duo, ut *Chimarum* pro *Tityri* agnomine intelligamus, & *Sicidis* nomine *matrem* Suidas *Epicharmi* deſignârit. Sic & *Archytæ* duo, *Mneſagoras* atque *Heſtiæus*. *Mneſarchum* addit *Suidas*, eundem fortaſſe cum *Mneſagorâ*. Et *Heraclito* duo, *Blyſo* & *Heracion*. Et *Xenophani*, *Dexius* & *Orthomenes*. Et *Zenoni Eliatæ*, *Pyrithus* & *Parmenides*. Niſi forte *Parmenidi* potius illi *Patres* aſſignandi ſint, cujus & alius præterea *pater* memoratur *Teleutagoras*. Nec aliter *Democritus*. Is quoque *Patres* habuiſſe fertur *Hegeſiſtratum*, *Athenocritum* atque *Damaſippum*.

pum. Ita *Protagoras Artemonis* filius habetur vel *Mæandrij*. Et *Anacreon Scythini*, vel *Eumeli*, vel *Parthenij*, vel *Ariſtocriti*. Et *Alcman Damantis* vel *Titari*. Satiſne Exemplorum? Abunde, ut opinor. Et tamen ſupereſt diligentiùs indagaturis *meſſis* fere *integra*, non tantummodò *Spicilegium*. Unum dedit obiter

Reſp. ad Dom. *Boyl.* p. 259, 260. aliudque agens Cl. *Bentleius*. Nempe *Phrynici* Poëtæ, cujus *tres* numerantur Patres; *Polyphradmon*, *Minyras* & *Cherocles*. Imo *quatuor*, ſi idem *Melanthi* filius fuerit, ut cenſet Vir doctiſſimus. Idem *Pythagoram*

Ibid. p. 53. πυκτὴν alio *patre* natum quàm *Mneſarcho*, eundem tamen arbitratur cum *Philoſopho*. Hic non incommodam exiſtimat Parentum *multitudinem* in uno eodemque homine, qui

Ibid. p. 88. tamen alibi *Cliſthenem Phalaridis* alium probat ab *Athenienſi*, quòd *matrem* ejus *Autonoen* appellent *Epiſtolæ Phalaridis* quæ *Agariſta* fuerit *Herodoto*. Fruſtra hæc omnia ad *adoptiones* retulerimus, aut *mutatorum nominum* vices, quæ non erant adeo frequentia, cum jam amplior ſuppeditaret *Hiſtoria*, nec geſtorum tantummodo *publicorum*, verum etiam hominum *privatorum* inſignium. Tum rarò admodum occurrunt pluſquam *uni* unius ſexûs *Parentes*. Immeritò ergo tantam fiduciam in *Genealogiis* horum temporum ponit vir Eruditiſſimus. Immeritò in *Sicularum Genealogiarum* collectore *Hippoſtrato*. Sunt enim in noſtris Exemplis etiam *Siculi*, è quibus conſtat ne quidem *Siculorum* Genealogias reliquis fuiſſe *certiores*. Certè,

Certè, quod ad hanc, in quâ verſamur, *Theronis* à *Telemacho* ſtirpem attinet, hæc ipſa, quibus eam debemus, in *Pindarum* Scholia ſatis oſtendunt, eam admodum fuiſſe *incertam*. Eam ſæpe repetit Auctor, nunquam ſibi conſentiens. *Scholiaſtes* nempe vetus, vel, ex illius ſcriniis, *Recentior*. Ita nimirum : 13. Ipſæ hæ *Genealogiæ Siculæ* incertæ ſunt.

Schol. *Vet.* in *Olymp.* II. p. 27.	Schol. *Recent.* in *Olymp.* II. p. 35. 1.
1. *Telemachus,*	1. *Telemachus,*
2. *Chalciopeus,*	2. *Chalciopeus,*
3. *Æneſidamus,*	3. *Ommenides,*
4. *Theron.*	4. *Æneſidamus,*
	5. *Theron.*

Schol. *Vet.* in *Olymp.* III. p. 42. 1.	Schol. *Recent.* in *Olymp.* III. p. 45. 1.
1. *Telemachus,*	1. *Telemachus,*
2. *Emmenides,*	2. *Æneſidamus,*
3. *Æneſidamus,*	3. *Theron.*
4. *Theron.*	

Schol. *Vet.* in *Pyth.* VI. p. 263. 2. ex *Hippoſtrato.*

1. *Telemachus,*
2. *Emmenides,*
3. *Theron.*

Nec *numeri* generationum, nec hominum *nomina* conſentiunt. *Hippoſtrati* autem ſtemma, quem

quem tanti fecit Vir Eruditiſſimus, omnium *mutilatiſſimum* eſt. Deerat hic *Theronis* pater *Æneſidamus*, quem tamen interponendum probavit ipſe è coævis *Pindaro* & *Herodoto*. Par autem *ſpatium* eſt in ſtemmate penultimo in quo *unicum* legimus medium inter *Telemachum* & *Theronem*, ipſum illum *Theronis* patrem *Æneſidamum*. Quid ergo dicet, quo minus hoc ſequamur, doctiſſimus *Bentleius*? *Emmenidis* nomen forma ipſa ſuſpectum facit *Patronymica*. Non quidem fugit me multa nomina *Patronymica* in *propria* migrâſſe. Sed *Pindarus* certè, cum ſemper numero *plurali* nomen illud uſurpet, non *aliam* ejus formam agnoſcit quàm *Patronymicam*. Nec ſane patitur *Analogia Grammatica* ut ab *Emmenide* nomine proprio venerit nomen *Patronymicum Emmenides*, ſed potius ab *Emmene*. Ab *Emmenide* appellandi potius *Emmenidij* Πατρωνυμικῶς. Sic excludendus etiam fuiſſet *Chalciopeus*, ſi idem fuiſſet cum *Emmenide*, ut voluit vir doctiſſimus. Sic ad ternarium numerum ſtemma redigetur, nec locus eſſet tot annis interponendis, quot voluit Cl. *Bentleius*. Imo plane neceſſarium fuiſſet, ſi quidem verè *Telemachus* in cæde *Phalaridis* partem habuerit, nec cædes illa *Olymp.* LVII. 4. antiquior fuiſſet; quorum utrumque concedit Cl. *Bentleius*. Anni enim inde ad *Olymp.* LXXIII. 1. quo cœpit *Theron*, numerantur tantummodò LXI. qui vix *uno* plures admittunt *medios*

pro

pro calculo illo, quem in generationibus ſupputandis ſequitur Vir Cl. Sic quidem Reſpondere licuit ſi *Phalaridem* interfeciſſet *Telemachus*. Sed & alia habet *Scholiaſtes* quæ harum *Genealogiarum* fidem *incertam* fuiſſe vincant. *Xenocrates* frater *Theronis* vulgo fuiſſe creditur. Eundem tamen duntaxat συγ[γ]ενῆ *Theronis* arbitratus eſt *Genealogiarum Sicularum* Auctor accuratiſſimus *Artemon*. Sic & *Thraſybulum Xenocratis* filium fuiſſe ſententia receptiſſima eſt. Et ſic *Scholiaſtes* in *Pyth*. VI. p. 264. 2. Alibi *fratrem Xenocratis* eundem *Thraſybulum* facit idem *Scholiaſtes*. Et quidem Auctore Criticorum principe *Ariſtarcho*. Sed & *tertiam* addit nonnullorum ſententiam *Thraſybulum* patrem *Xenocratis* viceversâ ſtatuentium. Sic in Inſcript. *Iſthm*. II. p. 438. 2. *Xenocratis* fratrem eundem *Thraſybulum* rurſus agnoſcit, p. 444. 2. Sic rurſus *Hippocratem* & *Capyn Xenodici* filios ἀνεψιὺς *Theronis* idem appellat *Scholiaſtes* in Olymp. II. p. 32. 2. Pro illius nempe ſtemmatis rationibus quo *pater Theronis* ſtatuebatur *Emmenides*, & frater *Emmenidis Xenodicus Hippocratis* & *Capyis* pater. *Schol. Pyth*. VI. p. 263. 2. Ἀνεψιοὶ enim *Græcis* fratrum *filij*, iidem qui *Romanis Conſobrini*. Sed *patrem Theronis* non *Emmenidem*, ſed *Æneſidamum*, fuiſſe certiſſimum eſt. Ex his tam craſſis ſtemmatum erroribus, (etiam in temporibus *Theronis*,) quis eſt quin videat quàm *nullam* plane *fidem*

Schol. *Pind*. in Inſcript. *Pyth*. II.

mereantur temporibus in *Telemachi*, vel *Phalaridis?*

14. Stemma *auctius* veriſimilius eſt, Et proinde veriſimilius eſt in coloniâ *Geloâ* quàm in *Agrigentinâ* partes fuiſſe *Telemachi.*

In tantâ ergo *ſtemmatum* diſcordiâ quid, inquies, ſtatuendum erit? Ego certè *locupletiſſimum* ad veritatem proximè accedere exiſtimo. Tam longe abeſt ut D. *Bentleij* intereſſe putem rationes ſtemmatum locupletiſſimas. Id potius probabunt, in *Gelæ* coloniâ deducendâ, non autem *Agrigenti*, partes fuiſſe *Telemachi*; nec adeo *Phalaridis* ætatem attingere potuiſſe *Telemachum*, ut vult Cl. *Bentleius*. Eſtque ſane facilius ut ſtemmatis veteris nomina *Librariorum* aliud agentium neglectu *interciderint*, quàm ut *nova* nomina quæ locum in veteri ſtemmate nullum habebant, à junioribus Librariis fuerint interpolata. Itaque & *Chalciopea* accipio, non eundem cum *Emmenide*, ut volebat Cl. *Bentleius*; & ipſum etiam *Emmenidem*, vel potiùs *Emmenem*. Nec enim nominum ulla ſimilitudo eſt ut pro alio aliud acciperetur, & *Ommenidem* alium à *Chalciopeo* habet junior *Scholiaſtes*, non alium utique ab hoc ipſo, de quo agimus, *Emmenide*. Ex ipſo enim *Pindaro* conſtat *Emmenidas* nomen fuiſſe φαλεριᾶς, non *Geloæ*, ſed *Agrigentinæ*. Primum ergo familiæ *Emmenidarum Emmenem* inter illos fuiſſe ſuſpicor qui è *Gela* coloniam duxerint *Agrigentum*, eoque nomine novæ coloniæ φαλεριὰν *Agrigentinæ* ab eo nomen accepiſſe. Proinde *Æneſidami* frater fuerit *Xenodicus*, ambo

ambo ſcilicet *Emmenis* filij, ut filij *Xenodici Hippocrates* & *Capys Theronis* eſſent *conſobrini*. Eſt enim hoc *Pindaro* ſolenne ut à φατριῶν decore ſuos celebret ludorum victores. Sic *Euxenidarum* meminit, *Timodemidarum*, *Oligæthidarum*, *Ægidarum*, à familiarum *principibus* ita nominatorum. Satiſque aptè conveniet is *numerus* ut à jactis Urbis *Agrigentinæ* fundamentis, tertius fuerit à primo *Agrigenti* colono ipſe *Theron*. Hæc ſi vera, *Geløe* vixerit deceſſeritque *Chalciopeus*, ipſe potiùs φατρίᾳ nomen daturus, vel etiam *Telemachus*, ſi etiam illi locum habuiſſent in coloniâ *Agrigentinâ*. Sed vel ita, nimis anguſta fuiſſet *duorum* hominum ſucceſſio quàm ut duorum prior *Geloæ* Urbis *origines* attigerit. Itaque & alios omiſſos ſuſpicor, ejuſdem negligentiæ exemplo quo & *Chalciopeum* & *Emmenem* in prædictis ſtemmatibus *omiſſos* vidimus, imo ipſum *Theronis* patrem *Æneſidamum*. Quot fuerint, & quinam, tum demum fortaſſe diſcemus ſi & *aliæ* prodierint hujus *ſtemmatis* διαδοχαί. Ne verò hoc miremur, ingens facit hiatus in hac ipsâ *Telemachi* proſapiâ, qualem illam repræſentat hic idem *Pindari Scholiaſtes* ad *Olymp*. II. p. 27. 2. Ibi enim IX^us. à *Laio*, III^us. à *Therâ Theræ* conditore numeratur. Sic enim habet: Τὸ δὲ γένος Λαΐου καὶ Οἰδίποδος ὁ Θήρων, οὕτω κατάγει. Λαΐου Οἰδίπους· τούτου Πολυνείκης· οὗ Θέρσανδρος· οὗ Τισαμενός· οὗ Αὐτεσίων· οὗ Θήρας. οὗ Σάμος. Οὗτος ἔσχεν υἱοὺς δύο, Τηλέμαχον καὶ Κλύτιον.

ὧν ὁ μὲν Κλύτιος ἔμεινεν ἐν Θήρᾳ τῇ νήσῳ. ὁ δὲ Τηλέμαχος κατῴκει ἐν χώρᾳ, ὅθεν συλλέξας δύναμιν, ἔσχεται εἰς Σικελίαν, καὶ κρατεῖ τῶν τόπων. ἐξ οὗ Χαλκιοπεύς· οὗ Αἰνησίδαμος· οὗ Θήρων. Quid ſibi volunt verba illa de *Clytio*, Ἔμεινεν ἐν Θήρᾳ· de *Telemacho* autem, κατῴκει ἐν χώρᾳ; Quaſi verò non tantumdem valerent, μένειν & κατοικεῖν. Scripſit, ni fallor, de *Telemacho* Scholiaſtes μετῴκει ἐκ χώρας. Sic enim de eâdem Expeditione idem Scholiaſtes : Μετῴκησαν εἰς τὴν Σικελίαν; p. 22. 1. Et rurſus : Τὴν μετοικίαν εἰς τὴν Σικελίαν στειλαμένων, p. 23. 2. Sed ne quidem ita ſatis ſincera ſunt *Scholiaſtæ* verba. Id enim innuunt, quaſi è *Therâ* migrârit in *Siciliam Telemachus*, & quaſi *Theræ* ea ſeditio fuerit, quæ illum patriâ expulerit, cum tamen *Rhodi* ſeditionem fuiſſe, atque inde *Telemachum* in *Siciliam* veniſſe veteres conſentiant. Sed *Sami* filium alium *Euphemum* ἀπόγονον πρώτου Εὐφήμου *Argonautæ*, & quidem inter *incolas* ejuſdem *Theræ* idem alibi memorat *Scholiaſtes*, Pyth. IV. p. 243. 2. ne dubitemus in hoc *ſtemmate* locum habuiſſe. Sic itaque legendum : Οὗ Σάμος· οὗ Εὔφημος. .... Nam & *aliorum* nomina defeciſſe ſuſpicor uſque ad illum, quicunque demum is fuerit, qui *duos* habuerit *filios*, quorum alius in *Therâ* manſerit, alius inde *coloniam* deduxerit. Si enim tertius fuiſſet à *Therâ Theræ* conditore *Telemachus* ; ſic multis generationibus *Battum* primum *Cyrenes* conditorem

torem præceſſiſſet, quem XIII$^{m.}$ à *Therâ* illo, XVII$^{m.}$ autem ab *Euphemo Argonautâ*, à quo *Theras* ipſe IV$^{us.}$ fuit, hic idem numerat *Scholiaſtes*, atque ipſe etiam *Pindarus*, Pyth. IV. Sic primis *Græcorum* in *Sicilia* coloniis, imo ipſis etiam *Olympiadibus*, antiquior ille fuiſſet *Telemachus*. Deſunt certè admodum multæ γενεαὶ ad numerum XXVII. implendum, quem à *Cadmo* ad *Theronem* numerat hic idem *Scholiaſtes*, p. 22. 2. & 33. 2. Poteſt etiam ante nomen *Sami* alia locum habere *lacuna*. Hunc ſcilicet in modum: Οὗ Θήρας· οὗ Οἰόλυκος· οὗ Αἰγεὺς· οὗ Ὑρεὺς· οὗ Λαΐας vel Εὐρωπᾶς· .... Ita certè *Theræ* poſteros exhibet *Pauſanias*. Potuit autem & è *Therâ* ipsâ venire *Telemachus* ſub auſpiciis *Antiphemi Rhodij* coloniæ *Geloæ* ducis. Utcunque tamen, ſi quem *tyrannum* occiderit, quem pro *Phalaride* habuit *Scholiaſtes*, unde ſeditio orta fuerit quæ illum patriâ fugârit: Ego certè *Theræ* potius, vel *Rhodi*, occidiſſe crederem, quàm in *Sicilia*. Hoc tamen obiter. Cæterum ex hoc tam inſigni exemplo conſtat quàm fuerit *Scholiaſtæ* proclive ut *ſtemmatum* nomina *omitteret* potiùs quam *interpolaret*. Idque ex *aliis* ejuſdem hujus ſtemmatis *exemplis* manifeſtum eſt, quæ uberiora reperit in ſui ævi Codicibus Interpres *junior* quàm hodie habemus in *antiquo*, cujus tamen junior ſcrinia compilârit.

15. *Ratiociniis ſuis, non majorum Teſtimoniis debebant juniores Grammatici, quod cæſum à Telemacho Phalaridem arbitrarentur.*

Siquid ſane *certi* ex horum temporum monumentis elici poſſit; longe veriſimilius eſt, quod dixi, in priori potius coloniâ *Geloâ*, quàm *Agrigentinâ*, partes fuiſſe *Telemachi*. Sic enim de *coloniâ*, cujus participes fuerint majores *Theronis*, interpres junior. Ἄρχοντες δὲ τῶν ἀποικίαν στειλαμένων Ἀντίφημος καὶ Ἔντιμος ἦσαν ὧν μετὰ εἰκοσὶν ἑβδόμην γενεὰν Θήρων ἔτος γέγονεν. Prior numerus certiſſimò falſus eſt, qui, ſi deleatur, ſic erit à *Telemacho* VII^us^ *Theron*, & *duo* proinde *nomina* deerunt in ſtemmate, eorum quæ dedimus, locupletiſſimo. Sed potius ſuſpicor malè illum, quæ in *veteri Scholiaſte* legerat de numero generationum à *Cadmo* ad *Theronem*, ad hoc poſterius recentiuſque ſpatium retuliſſe. Sed verò unde illud de *Antiphemo* & *Entimo* ducibus *coloniæ* illius quæ majores *Theronis* è *Græcia* in *Siciliam* exciverit? Non certè è ſuis, ut alia quæ habet falſa, *ratiociniis*; ſed è fontibus *veteris Scholiaſtæ* doctiſſimis *Grammaticis*, qui quæ de majorum *Theronis laboribus* meminerat *Pindarus*, ea omnia ad coloniam ab *Antiphemo* & *Entimo* deductam retulerint. Sic *Artemon Gelam* à *Pindaro* intelligi exinde collegit, quòd *Agrigentum* facilè; *Gela* ægrè, nec niſi multis exantlatis *laboribus*, fuerit fundata. Facilè videmus vim omnem Argumenti in eo poſitam eſſe, quòd quæ *Antiphemo* & *Entimo* in *Gelâ* condendâ contigerint, ea omnia *Theronis* majoribus fuerint communia. Nec verò alios *Theronis*

Theronis majores intelligere potuit *Artemon* quàm illos qui primi in *Siciliam* appulerint, in quo numero nemo dubitavit fuiſſe *Telemachum*. Ad alios certè ſpectare non poterant *labores* ab *Antiphemo* & *Entimo* exantlati, & quidem in *Siciliâ*. Nihil ad *Theronem* attinebant labores, quorum partem plane *nullam* habebant illius *majores*. Sed nec ad *majores Theronis*, qui diu antea contigerant quàm ipſi appuliſſent in *Siciliam*, quàm *Siciliam* attigiſſet primus *Siciliæ* incola *Telemachus*. Sed ab *Artemonis* ſententiâ diſcrepabat, fateor, *Menecrates*. In eo ſcilicet, quòd in *Gelâ* condendâ ulli fuerint conditorum *labores*. Proinde ad majores *Theronis labores* referendos eſſe cenſuit, qui fuerant coloniâ *Siculâ* antiquiores, *Thebis* nimirum, *Athenis* atque *Rhodi*. Non negat ad majores *Theronis* ſpectaturos ſiqui fuiſſent *Antiphemi* atque *Entimi* labores in condendâ *Gelâ*. Nihil ille de *Agrigento*. Nihil de *Phalaride* cæſo à *Telemacho*. Nihil de laboribus *Agrigento* poſterioribus. Potiùs è contrario ſupponit tales *nullos* ſibi fuiſſe exploratos, dum ad *antiquiores* confugerat familiæ ipſius *adventu* in *Siciliam*. Hucuſque ergo nihil erat cur vel ſuſpectus haberetur *Telemachi* adventus cum *Antiphemo* apud antiquiores *Grammaticos*. Juniorum *ratiociniis* illam debemus opinionem, uti etiam illam quæ cædem *Phalaridis* tribuebat *Telemacho*. Teſtem utriuſvis *veterum* neminem obtendunt. Sed cum *labores Telemachi*

in *Gelâ* condendâ dubios didiciſſent à *veteribus*, mox de laboribus in coloniâ *Agrigentinâ* deducendâ toleratis *Pindari* verba intelligenda colligebant. Quòd ſcilicet nulla eſſet ſuſpicio de *laboribus* coloniâ ipsâ *Siculâ* antiquioribus. Et quòd *Theronem* ipſum *Agrigentinum*, non *Geloum*, eſſe manifeſtum eſſet. Inde rurſus proclive erat, ut ſiquam *tyranni* cædem *Telemacho* imputatam legiſſent, eam de tyranno *Agrigentino* intelligerent, & quidem de omnium primo *Phalaride*. Erant enim præfectò *ſeditiones* atque *cædes* cauſæ *coloniarum* frequentiſſimæ. Maximè autem *cædes*, quod *Piaculorum* receptiſſima eſſet expiatio ſi rei in *exilium* proficiſcerentur. Dum enim in *patriâ* hærerent, *terra* ipſa *polluta* habebatur, eoque nomine obnoxia *pœnis* graviſſimis à *Numine* inferendis. Sic univerſa concidet Viri Eruditi Argumentatio de ætate *Phalaridis* indagandâ ex ætate *Telemachi*. Similis *Ratiocinij* error eſt quo dejecti *Phalaridis* ſucceſſorem in tyrannide *Telemachum* ipſum facit *junior* Interpres : Hoc enim innuunt verba ejus illa : Τηλέμαχος γάρ τις καταλύσας τὴν Φαλάριδος τυραννίδα ἐν Ἀκράγαντι, τὴν βασιλείαν ἐκτήσατο, in *Olymp.* III. p. 45. 1. Atqui nulla mentio eſt *Telemachi* apud *Heraclidem*, quo loco egit de ſucceſſoribus *Phalaridis* in tyrannide *Agrigentinâ*. Et *Theron* certè quâ arte *tyrannidem* conſecutus fuerit, narrat *Polyænus*. Suſpectior utique, nec adeo facilè impoſiturus ſi quod

Polyæn. Strat. L. VI. c. 51.

Jus

Jus *avitum* potuiſſet obtendere. Præſertim in tam *nupera* deceſſoris *memoriâ*, quam *veterem* ne quidem eſſe *potuiſſe* probavimus dum *Civitatem* nuperam probaremus.

Ita Argumenta à Viro docto in contrarium allata nihil obſtare probavimus quo minus *limitibus* prædictis concludi potuerit Ætas *Phalaridis*. Jam preſſiùs agamus, & quanta *pars* prædicti ſpatij *Phalaridis* tyrannidi aſſignanda ſit, pro virili noſtrâ quà licet, exploremus. Quamdiu Regnârit *Phalaris* nullibi habemus, (quod quidem ſciam) *verbis* conſignatum expreſſis. Itaque *Ratiociniis* agendum eſt.*Euſebiano* Chronico *Olymp.* XXXI. 2. ita legimus: *Phalaris apud Agrigentinos tyrannidem exercuit.* Olymp. XXXVIII. 2. ita: *Phalaridis tyrannis deſtructa.* Intervallum VII. *Olympiadum* eſt, *annorum* XXVIII. quibus Imperium tenuerit *Phalaris.* Rurſus *Olymp.* LIII. 4. *Phalaris tyrannidem exercuit ann.* XVI. Spatium tyrannidis integrum hoc numero non completum eſſe exinde colligimus, quod *Suidas* eum *Olymp.* LII. aſſignârit. Proinde rem *geſtam* aliquam *Phalaridis* inſignem huic *anno* tribuiſſe creditur, Auctor *Euſebij*, poſtquam *annos* deinde tenuerit XVI. *geſtam* ſcilicet anno *tyrannidis* illius XII. Certè ab *Olymp.* L. 4. ad *Olymp.* LVII. 4. reſpondet prædictus numerus annorum XXVIII. accuratiſſimè. Vel inde ſuſpicio eſt numerum illum annorum XXVIII. è proximis proceſſiſſe *monumentis*, ut & alia

16. *Tyrannidem in Agrigentino* per *annos* XXVIII. videtur tenuiſſe *Phalaris*.

Tyrannorum antiquiorum tempora quorum meminit in Politicis *Ariſtoteles.* Voluit autem Auctor *Euſebij*, cum de *Phalaridis* certo *initio* non conſtaret, initium illius ad Urbis *Agrigentinæ initium* referre. Et cum certum *Olympiadis* L.ª *annum* neſciret, quo cœperit *Agrigentum*, ad *finem Olympiadis* referendum cenſuit, annum ſcilicet illius 4ᵘᵐ. Id quoque ſuis duntaxat *ratiociniis*, non autem *Hiſtoricis teſtimoniis.* Hic, ſi quidem rectè noſtra præceſſerint auguria, duo ſequentur meritò Obſervanda: 1. *Verum* numerum *annorum*, quibus tenuerit *Phalaris*, non XVI. eſſe, ſed XXVIII. Et ſane alios *tyrannorum*, his etiam temporibus *coævorum*, numeros habuit *Ariſtoteles.* Nempe è Libris, ut videtur, *Bibliothecæ* ſuæ, quam habuit inſtructiſſimam. Et quidem erant, etiam apud *Siculos*, Scriptores ab his ipſis *Phalaridis* temporibus non admodum remoti: *Antiochus Syracuſanus*, & pater *Antiochi*, *Xenophanes Colophonius*, *Hieroni* coævus: 2. *Conjecturis*, non autem *Hiſtoricis* teſtimoniis niti oportere ſententiam illam quæ annos *Phalaridis* XXVIII ab ipſo *Coloniæ Agrigentinæ ortu* arceſſivit. Proinde horum annorum initium aliunde explorandum erit.

17. Malè tamen *illorum* annorum initium ab *Urbis* ipſius initio deducunt veteres *plerique.*

Initium certè Urbis *Agrigentinæ* pro *initio Phalaridis* habebant plerique eorum qui de *Phalaridis* initio ſuis augurabantur Ratiociniis. Cum primùm Epocha *Olympiadum* ad uſus *Chronologicos* adhiberetur, nondum mos receptus eſt *ſingulos* Olympiadum *annos* per

per *Athenienſium Archontes* invicem ſecernendi. Proinde *Olympiade ineunte* vel *exeunte* tempus, cujus *verum* annum neſciebant, deſignabant. *Primo* nimirum Olympiadis *anno* vel *ultimo*. Sic Ego annos XVI. intelligo quorum meminit ad *Olymp.* LIII. 4. *Euſebius*. Non ſcilicet ita, quaſi ab *illo* anno *numeri* annorum, quorum meminit, XVI. *exordium* deduxiſſet, ſed quòd is fuiſſet annus ab Urbe *Agrigentinâ* conditâ XVI[us.] Quod erat pro eorum hypotheſibus veriſſimum qui Urbis illius *originem* ab *Olymp.* L. 1. arceſſebant. Contrà, qui ab anno *Olymp.* L. 4. annos numerabant, hi annos *Phalaridis* XXVIII. *Olymp.* LVII. 4. terminabant, quibus ſuffragari videtur ipſe præſtantiſſimus *Bentleius*. Sed neminem habet, ut opinor, vir Eruditus Veterum qui id verbis aſſeruerit expreſſis *Olymp.* LVII. 4. interiiſſe *Phalaridem*. Hoc tantùm inde colligit, quòd hoc demum anno *Olymp.* LVII. 4. deſinant anni XVI. ab *Olymp.* LIII. 4. ſupputati. Id tamen non volebat *Euſebius*, annos (quorum ibi meminit) XVI. quibus tyrannidem exercuerit *Phalaris* inde *inchoandos*, ſed illum *ipſum* annum numeri, de quo loquitur, *ultimum* fuiſſe, & proinde XVI[m.] Sic nulla erit ratio cur annum *Olymp.* LVII. 4. pro ultimo habeat *Phalaridis*, niſi aliunde conſtet annos illum in *Tyrannide* XXVIII. *expleviſſe*, qui fuerint ab *Olympiadis* L[æ.] (quâ jacta fuerint Urbis *Agrigentinæ* fundamenta) anno IV[o] inchoandi. *Phalaridem* præterea *Suidas* tyrannum

rannum *Siciliæ* totius fuiſſe dicit κατὰ τ̃ νβ' Ὀλυμπιάδα. Nempe, pro rationibus *Pindari*, ſi quidem illæ non *rotundæ*, ſed *accuratæ*, habeantur. Nam *Olymp.* LXXVII^a annos à conditâ Urbe *Agrigentinâ* vidimus *centum* numerâſſe *Pindarum*. *Olympiades* erant XXV. *integræ*, quæ ex *Olymp.* LXXVII. detractæ reliquam facient *Olymp.* LII. quâ *ortum* Urbs habuerit. Adhuc perverſior eſt calculus junioris in *Pindarum* Scholiaſtis. Prædictos *Pindari* annos *centum* XX. complectitur *Olympiadibus*, quæ demptæ ex *Olymp.* LXXVII^a efficient ut *Olymp.* LVII. *Exordium Urbs* habuerit. Sic fiet ut, pro hoc calculo, tum *initium* fuerit *Phalaridis* cum *finem* ejuſdem fuiſſe cenſet vir doctiſſimus. Ita receptum, in hac tantâ illius Chronologiæ incertitudine, ut idem *initium Phalaridis* haberetur, quod fuerit etiam Urbis *Agrigentinæ*, quòd non ſatis attenderint quibus demum *gradibus* oportuerit illum ad *tyrannidem* pervenire.

18. Non eſt profecto veriſimile *Phalaridem Agrigenti* natum, ut cenſuit vir Eruditiſſimus. Hoc nempe conſilio ut *Epiſtolas* refellat quæ *Aſtypalæenſem* illum faciunt. Nec vidit interim quanto *cauſæ* ſuæ *damno* conſtiturum fuerit ſi natus *Agrigenti* fuerit *Phalaris*, jam conſtitutâ *Urbis* Agrigentinæ *origine*. Eſto enim *natus* fuerit anno coloniæ *Agrigentinæ* primo, & quidem pro primis *antiquiſſimiſque* coloniæ deductæ rationibus. Natus *Olymp.* L. 1. annum

Non eſt veriſimile *natum* in *Agrigento* fuiſſe *Phalaridem*. Nec adeo primis *Agrigentinæ* coloniæ *initiis* Tyrannidem occupare potuiſſe.

annum attigerit, pro calculo doctiſſimi *Bentleij*,cum interficeretur, tantummodò XXXII. ut agamus cum illo liberaliſſimé. Anno nimirum, quo cæſum illum exiſtimat, *Olymp.* LVII. 4. Sic annum in *Tyrannide* XVI^m^ explere non potuit, nedum XXVIII. qui *propriis* ipſe artibus atque ſceleribus tyrannide potitus eſt, non *avitam* poſſedit atque *hæreditariam*. Proinde ſi *Siciliam natalem* habuerit *Phalaris*, *Gelæ* potiùs quàm *Agrigenti*, natum exiſtimarem qui tam *paucis* ab Urbis initio *annis* tyrannidem occupârit. Atqui *Geloum* illum nunquam appellatum legimus. Ne quidem *majores* illius *Siculos* legimus, aut vel tribum *Agrigentinam*, quales legimus *Theronis*, cujus *familiâ* inſignis fuerat à primâ *Rhodiorum* in *Siciliâ* coloniâ *Geloâ*. Eſt ergo aliunde veriſimile, quod legimus in *Epiſtolis Phalaridi* attributis, *ortu* illum nec *Agrigentinum* eſſe potuiſſe, & ne quidem *Siculum* gente, qui *civis* erat *Agrigentinus*, *coloniæ* ſcilicet, licèt in *Siciliâ*, non *Siculæ* tamen, ſed *Græcæ*. Potuit *Siculos* multos habere teſtes, quicunque demum is fuerit qui quas habemus ſub *Phalaridis* nomine ſcripſerit *Epiſtolas*, qui id verbis aſſeruerint expreſſis. Nec *contrarium* vel uno *veteri*, nedum *Siculo*, teſte probavit Cl. *Bentleius*. Nec enim ſatis eſt quòd *Siculum Phalaridem Agrigentinúm*que appellârint. Quis enim dubitare poteſt quin, qui *tyrannidem* in *Siciliâ* exercuerit, is rectè *Siculus*; & qui Urbi imperabat

rabat *Agrigentinæ*, is civis *Agrigentinus* fuerit appellandus? Præſertim his recentioribus *Phalaride* temporibus, cum jam *inſula* univerſa *Siciliæ* nomine *communi* veniret intelligenda. Tum enim *cives* Urbium in *Siciliâ ſingularum* non *Siculi* tantummodo appellabantur, verumetiam à *ſuâ* cujuſque *civitate* nomen accipiebant, tam *adſcititij*, quàm *natalitij*, etiam à *Siculorum* gente alieniſſimi à quibus *Siculis* inſulam *univerſam* nunquam *poſſeſſam* legimus. Erat enim his temporibus receptiſſimum ut *multarum Civitatum* jura *Cives* caperent *iidem*. Quo tamen Civitatis *nomine* cenſeri mallent penes *ipſos* erat ut profiterentur. Idque *variè* præſtiterunt, pro Civis cujuſque *indole* atque *arbitrio*. Sæpe ergo Civitates *natalitias*, pecuniâ numeratâ, vel quacunque aliâ de cauſâ, abdicabant *Olympionicæ*, aliarumque,quæ magis *placebant*, Urbium *cives* à *præcone* publico recenſebantur. Potuit itaque *aliunde* oriundus *Phalaris* jure tamen *Agrigentinus* appellari, quem nemo dubitat *jure* Urbis *pleniſſimo* inſignitum, ſi non *antea*, ſaltem *poſtea*, quàm *tyrannidem* aſſecutus eſſet. Nec ſane erat incommodus *Aſtypalææ ſitus* ut inde *novi* coloni *Agrigentum* deducerentur. Erat enim inter *Sporades*, nec longe à *Rhodo* vel *Cretâ*, unde *Antiphemus* & *Entimus* coloniæ *Geloæ* conditores, quæ *mater* erat *Agrigentinæ*. Certè *Corinthium Epidamni* conditorem fuiſſe conſtat è *Thucydide*, cum tamen *Epidamnus* non *Corinthi* colonia

Strab. X. p. 488.

coloniâ haberetur, ſed *Corcyræ* quæ quidem *Corcyra* colonos acceperat à *Corintho*. Ita quidem *Corcyræi*. Hoc autem ipſo *ducis Corinthij* nominè coloniam *Epidamnum* ſibi vendicabant *Corinthij*, teſte *Thucydide*. Si *ducem* è *Metropoli* acceperint *coloni*, non eſt profectò cur miremur ſi acceperint etiam *colonos*? Imo *Rhodiorum* coloniam *Agrigentum* cenſet *Polybius*. Non ſolum propter *Geloos Rhodo* oriundos, ſed quia *novos*, ut videtur, cum conderetur, incolas acceperit ex ipsâ *Rhodo*. Neque vero è *Rhodo* tantummodo & *Cretâ Oriundi Geloi*. Imo ex inſulis eodem *Ægæo* mari ſitis: è *Thera Telemachum* deducunt nonnulli Grammatici *Theronis* προγονον in *Pindari* Scholiaſte: è *Telo* etiam ſtirpem *Gelonis* arceſſit *Herodotus*. Quæ tamen *ambæ* longiùs diſtabant à *Rhodo* & *Cretâ* quàm *Aſtypalæa*. Et mos erat *coloniarum* ductoribus undecunque è locis patriæ *finitimis* coloniæ comites conſcribere. Nihil ergo plane obſtat quo minùs ex *Aſtypalæa* venerit *Phalaris* cum conderetur *Agrigentum*. Erat & alia in *Samo Aſtypalæa*, nec ipſa ſitu incommodo ut colonos *Agrigento* ſuppeditaret. *Rhodiorum* & *Cretenſium* coloniæ meminit illius Auctor *Etymologici Magni vis*, Ἀστυπαλαία. Sic tamen *ſerius* illum, quàm *colonos Geloos*, veniſſe veriſimile eſt. Hi enim è loco confluebant ipſius *Siciliæ propinquo*: Ille è *longinquo*, cum *famam* accepiſſet condendæ à *Gelois* coloniæ. Multi præterea neceſſarij erant *gradus* ut potentiam tantam

Polyb. IX. p. 799.

Herodot. VII. c. 153.

tantam *exterus* apud *Geloos* conſequeretur quæ *ſpem* faceret occupandæ *Tyrannidis*. Imo *progreſſus* magnos fuerint oportet *Agrigentini* cum de *Templo* magnifico, quæ *Jovi Polico* dicaretur, conſilium inirent, quam anſam à *Phalaride* captatam teſtatur *Polyænus* Tyrannidis occupandæ. *Templi* magnificentiam oſtendunt *expenſæ* talentorum ducentorum, ſi quidem rectè loci ſententiam aſſecutus fuerit Cl. *Caſaubonus*. Et *creſcentem* indies *florentemque* Reipublicæ *Agrigentinæ* ſtatum arguunt eædem illæ *expenſæ*. Tum quoque in officio *Publicani* aliquantiſper fuiſſe docent verba *Polyæni*: ὡς διὰ τ̃ τελωνικ̃ν βίον ἐμπειρίαν τῶν τοιέτων ἔχοντι. Nec tamen civi *adventitio* reditus publicos crediſſe *Agrigentinos* antea probabile eſt quàm *fidem* ejus & *peritiam*, rebus in civitate *ſuâ* geſtis, habuiſſent exploratam. *Multos* ergo à Civitate *conditâ* annos fluxiſſe neceſſe erat ante *Phalaridis tyrannidem*.

Polyæn. Strateg. V. 1.

19. Sed *quotus* ille fuerit *Urbis* fundatæ *annus*, quo *tyrannidem* adeptus eſt, id verò deſignare difficillimum eſt. Veniam ergo hic indulgebit Lector ſi vel *proximè* ad *veritatem* acceſſerimus. Hoc autem fortaſſe faciemus, ſi *Euſebium* rectò, & pro *Auctorum* (quorum eſt ſecutus fidem) *ſententiâ*, interpretemur. Sic ergo ſeſe habent illius verba: *Phalaris tyrannidem exercuit ann.* XVI. Vix equidem dubito quin ad *Olymp.* LIV. 1. verba illa referenda

Tyrannidem occupiſſe videtur *Phalaris* anno Urbis *Agrigentinæ* XVI. *Olymp.* LIV. 1. tenuiſſe autem ad *Olym.* LXI. 1. pro hypotheſibus *Euſebij*.

renda ſuerint pro ſententiâ *Euſebij*; ſi per alia, *eidem anno* in *Chronico Canone* appoſita, licuiſſet. Sic autem incidet *Tyrannidis* initium in *annum* Urbis *Agrigentinæ* conditæ XVI^m^. Idque *voluit* fortaſſe, vel *Euſebius* ipſe, vel *Auctor Euſebij*. Ita ſcilicet ut anno *Urbis* XVI° *tyrannidem* exercere cœperit *Phalaris*, non autem quaſi per annos XVI. tantummodo tenuerit. Reſpondet certè calculus accuratiſſimè pro rationibus *Thucydidis* ſuprà à nobis explicatis omnium accuratiſſimis. Annum enim *conditæ* Urbis *Agrigentinæ*, pro illis rationibus, *Olymp.* L. I. fuiſſe probavimus, à quo *Olymp.* LIV. I. XVI^us^ eſt. Nec ſane verba *illa* licet in aliam aliquam *ſententiam* interpretari. Jam ſuprà vidimus *plures* fuiſſe *annos* quibus tyrannidem *Phalaris* exercuerit in *univerſum*. Præterea vidimus *finem* annorum XVI. quibus *tyrannidem* tenuerit hoc loco ſtatui ne quidem *potuiſſe*. Sic enim ipſo *Agrigentinæ* Urbis *initio* tyrannide potitus fuiſſet, quod nec paſſuri erant coloniæ auctores *Geloi*, nec coloniæ duces *Ariſtoneus* & *Pyſtilus*. Quod ne quidem auſurum probavimus *novum adſcititiumque* civem, dum civium novorum moribus *aſſueviſſet* expertuſque didiciſſet *indolem* eorum quà *fraudibus* doliſque pateret à ſe deſignandis. Hinc ergo *annos* XXVIII. (pro hac *Euſebij* ſententiâ) numerabimus quibus *tyrannidem* tenuerit *Phalaris*, ſeu (quæ tantundem valent) *Olympiades* ſeptem. Deſinent ergo *Olymp.*

LXI. 1. qui fuerit proinde *Phalaridi* fatalis. Sic fuerit *Phalaris Crœſo* coævus cum quo confertur à *Pindaro*. Major ergo uterque *Pindaro* atque illo, ad quem ſcribit, *Hierone*. Nec enim è memoriâ *ſuâ* vel *Hieronis* de utrovis teſtem advocat, ſed λογίων & ἀοιδῶν. Itaque *ante memoriam Pindari* uterque deceſſerit, tam *Phalaris* quàm *Crœſus*. Nempe ante *Olymp.* LXV. 1. quo *ortum* habuit *Pindarus*. Erat quidem ſuperſtes ſub *Cambyſe Crœſus*, etiam redactâ in *Cambyſis* poteſtatem *Ægypto*, quod factum anno *Cambyſis* V° *Olymp.* LXIII. 3. Sed de *Regni* bene à *Crœſo* adminiſtrati *laude* agit *Pindarus*, quo *Olymp.* LVIII. 1. *Crœſus* exutus eſt. Illud prætereа obſervatu dignum, λογίων elogia advocari à *Pindaro*. Nempe *Hiſtoricorum*, quorum *primos* ſub *Dario Hyſtaſpide*, vel ad ſummum ſub *Cambyſe*, floruiſſe jam probavimus. Nec enim de aliis agit quàm *antiquiſſimis Hiſtoricis* qui fuerint *ſe* majores. Imo nec de *aliis* quàm qui ante *Pythia* XXIX. ſcripſerant à *Pindaro* ipſâ illâ Odâ celebrata. Proinde etiam ante *Olymp.* LXXVII. $\frac{2}{3}$. His ergo *antiquior* fuerit oportet *Phalaris*. Nec *multo* tamen antiquior eſſe potuit ſi quidem *Cyri* tempora attigerit, ut vult *Oroſius* L. 20. *Cyri* tempora *prima* ad *Olymp.* referuntur LV$^{m.}$ *Poſtrema* quoque quibus, victo *Crœſo* ſuperfuit, ad *Olymp.* LVIII. 1. Utraque complectitur *Phylaridis tyrannis* pro *Euſebianis* hiſce, quas dedimus, rationibus. Potuit ergo teſtem

Pyndar. Pyth. I. v. 183.

teſtem *bonæ fidei*, hac ſaltem in causâ, habere, qui jam tamen olim perierit, *Oroſius*. Cum ſcilicet *Græcorum* res *Perſarum Siculorúm*que rebus immiſcerentur. Habebant enim *Græci* utrobique *colonias Cyro* antiquiores, tam in *Aſiâ*, quàm in *Siciliâ*. Alioqui, fateor, temporibus hiſce *antiquiſſimis*, nihil eſſe cur *Oroſij*, coævorumque *Oroſio*, *commiſſionibus* admodùm fidamus. Convenit præterea tempus *Abaridis* Sacerdotis *Hyperborei*, cujus literas legimus inter *Phalaridis* Epiſtolas. Nam *Cræſi* temporibus *Abaridem* aſſignavit *Pindarus*, *Harpocratione*. Idque ſequebatur *Euſebius*, quo loco prima occurrit mentio *Abaridis*. Mox enim ſubjungit ſucceſſionem *Cræſi*, pro *more* illis temporibus recepto, quo, cujus annus incertus erat, id *initio* vel *fini*, aſſignari ſolebat. Et certè *Tyrannidis* in *Sicilia Chronologiam*, quà illum integrum habemus, exhibet *Diodorus*. Potuit ergo, pro eodem exemplo, hujus *antiquiſſimæ tyrannidis* Epocham habere è ſuperioribus monumentis quibus *Phalaridis initium* anno Urbis *Agrigentinæ* XVI° conſignatum repererit, cujus luculenta adeo veſtigia conſervârit *Euſebius*. Nihil interim adduximus ex *Epiſtolis Phalaridi* attributis, quòd *omnem* prorſus *fidem* illis negârit Cl. *Bentleius*. Non quidem forſitan incommodè, ſi *coævi* duntaxat Scriptoris fidem illis abrogâſſet. Perperam autem, ſi teſtes *alios* de rebus à *Phalaride* geſtis audiendos eſſe neget quàm *coævos*.

Tales enim nec *adduxit ipſe*, nec *habebat* quos adduceret. Tales, qui oratione ſaltem ſcripſerint *ſolutâ*, ne quidem *Veteres* habuiſſe probavimus. Itaque contentus eſſe debet vir doctiſſimus eorum de *Phalaride* teſtimoniis qui vel *proximos* viderint à *Phalaridis* ætate Scriptores, vel *illos* ſaltem qui ab *illorum* fontibus hauſerint omnium incorruptiſſimis. Illos nempe qui *tum* quidem extabant, *jam* verò *diu* interciderint. Tales *multos* fuiſſe veriſimile eſt cum viveret ille, quicunque demum is fuerit, qui Epiſtolas *Phalaridis* nomine inſcripſerit. Eò certè *plures* quo ipſe fuerit *antiquior*. Et plane *multos*, ſi ſcripſerit temporibus *Tiberij*, ut ſuſpicatur ipſe Cl. *Bentleius*. Tum ſane multos fuiſſe rerum *Sicularum* Scriptores, ex *Athenæo* conſtat & *Clemente Alexandrino* *Tiberio* aliquanto junioribus. Utcunque tamen certum eſt has ipſas, quas habemus, *Epiſtolas* non *Photio* tantummodo, ſed & *Stobæo*, qui erat *Photio* antiquior, *antiquiores* eſſe. Et *multos* fuiſſe veteres *Hiſtoricos* qui poſt *Stobæum* perierint, id quoque manifeſtum eſt. Quare eodem loco habendæ hæ quoque *Phalaridis Epiſtolæ* quo & alij *coævi* illarum Auctori *Veteres*, quibus tantiſper credimus de rebus ſuâ ætate *antiquioribus*, quarum tamen ſuppetebant *Auctores*, dum è *meliori* aliquo, quàm ipſi fuerint, Auctore contrarium appareat. Non ſunt ergo penitus ſpernendæ notæ *temporis* quo regnârit *Phalaris*, *coævorumque* cum quibus commercium habuerit,

Reſp. ad D. *Boyl.* p. 108.

buerit, quæ ex his ipſis hauriuntur *Epiſtolis*. Pro illâ quoque Viri Eruditiſſimi ſententiâ, quæ illas *negat* ipſius fuiſſe *Phalaridis*.

Hanc Ego *Phalaridis ætatem* omnium veriſimillimam exiſtimarem, ſi quidem illud ſaltem conſtaret annorum horum XVI. *initium* ad Urbis ipſius *Agrigentinæ* initium eſſe referendum. Fieri tamen poſſe ſuprà monui ut *paucis* fortaſſe annis à *vera* ejuſdem *ætate* aberrârit. Siquis tamen *error* ille fuerit, magis eò propendeo ut *ſeriùs*, quàm ut *citiùs*, deceſſerit. Chronicon Marmoreum *Oxonienſe* hoc in loco non moror qui *Gelonis* initium *ſerius* fecit quàm *Diodorus*. Nam *Syracuſis* præfuiſſe *Gelonem* quo tempore *Xerxes* in *Græciâ* graſſaretur, è *meliore*, quàm fuerit ipſe, diſcimus, teſte *Herodoto*. Tanto ergo aſtipulatore fulta maneat inconcuſſa fides, de *Gelonis* imperio, *Diodori*. Sed vel ita *Agrigenti* Epocham, quàm potuimus *antiquiſſimam* conſtituimus, cum *primo* illius, quà exordium habuit, *Olympiadis* anno illius *ortum* aſſignaremus. Eſto enim, *Rotundus* fuerit *Pindari* numerus, quo annos *centum* ab illius Urbis *origine* ad illam, quâ ſcribebat ipſe, *Olympiadem* LXXVII^m ſupputavit. Sic tamen potuit æquè commodè, de annis paulo *paucioribus*, quàm *pluribus*, intelligi. Hic tamen *plures* fuiſſe conceſſimus. Et quidem *duabus*, ad minimum, *Olympiadibus*, ut illo ipſo *anno* ſcripſiſſet *Pindarus*, quo vicit *Hiero*. Juſti

20.
Epochâ a nobis in *Euſebio* aſſignatâ paulo fortaſſe *ſerior*, vix autem *antiquior* potuit eſſe *Phalaris*.

tamen *centenarij* veſtigia habemus in *Suidâ* dum *Phalaridis* initium,quod idem illum cum Urbis *Agrigentinæ* initio cenſuiſſe probavimus, ab *Olympiade* arceſſeret LII^a. Nec tamen adeo *ſeram* Urbem *Agrigentinam* eſſe potuiſſe probant rationes *Thucydideæ* ſuperiùs explicatæ, quas quidem credimus omnium accuratiſſimas. Nam ad annum *Gelonis* in tyrannide *Syracuſanâ* II^m pertingit annus *Megarorum Hyblæorum* CCXLV^us. Pro illo nimirum calculo quo Urbem *Agrigentinam Olymp.* L. 1. conditam oſtendimus. Is annus erat *Olymp.* LXXIV. 2. Proferatur ergo ad 2^am inde *Olympiadem.* Sic annus *Megarorum Hyblæorum* CCXLV^us ad *Olymp.* LXXVI. 2. proferetur, cum jam *triennio* mortuus fuiſſet *Gelo*, qui tamen patriæ eorum exciſæ *auctor* fuerit, ſi quidem *Thucydidem* audiamus. *Medio* ergo *anno* aliquo inter *Olymp.* LXXIV. 2. (qui II^us erat *Gelonis* in tyrannide *Syracuſanâ* annus) & *Olymp.* LXXV. 3. (qui VII^us erat ejuſdem, idemque *ſupremus*) hæc *Megarorum Hyblæorum* calamitas ſtatuenda erit. Nec, ut opinor, longe ab Epochâ *priori.* Nec enim *malignitate* aliquâ vel *ſævitia* animi factæ ſunt pleræque illæ civium *adſcititiorum* in urbem *Syracuſanam* à *Gelone* tranſlationes, ut alibi probavimus. Inde factum ut firmiſſimi *tyrannidis* ibi ſtabilitæ patroni haberentur *cives* illi *adſcititij*, ut ne quidem libertatem, pulſo *Thraſydæo*, tutam crederent cives *natalitij* dum jure *Urbis* excluderentur cives illi *adventitij.*

In Annalib. Thucydideis.

ventitij. Ita *Syracuſanæ* tyrannidis initio *Camarinæos* omnes *Syracuſas* à *Gelone* tranſlatos auctor eſt *Herodotus.* Tum deinde *Gelorum* partem pluſquam *dimidiam.* Idem poſtea de *Megarenſium* locupletiſſimis factum ab eodem *Gelone* idem auctor eſt *Herodotus*, poſtquam obſeſſos ad deditionem adegiſſet. Hi ſane *Megarenſes* non alij erant ab *Hyblæis* quos teſtatur à ſedibus ſuis pulſos, *Gelone* apud *Syracuſanos* tyrannidem obtinente, *Thucydides.* Convenitque *tempus* à nobis aſſignatum anni *Gelonis* apud *Syracuſanos ſecundi.* Nempe poſt tranſlatos *primo* anno *Camarinæos* & *Geloos.* Poſt cœptum ſecundo fortaſſe anno *Megarenſium* obſidionem & *deditionem.* Et tamen ante *Eubœenſium Sicilienſium* ſimilem tranſlationem, cujus ibidem meminit *Herodotus.* Hæc enim omnia *ante* contigiſſe narrat *Herodotus* quàm venirent ad *Gelonem*, de *Xerxe Helleſpontum* jam tranſgreſſo, *Lacedæmoniorum* legati. Trajecit *Xerxes* Olymp. LXXIV. 4. *exeunte.* Unicus *annus* erat *intermedius* inter illum quem nos transferendis *Megarenſibus* aſſignavimus & quo venerint prædicti *Lacedæmoniorum* legati, nempe *Olymp.* LXXIV. 3. quo fuerint proinde illi transferendi *Eubœenſes.* Sic illa invicem cohærent ut ne quidem facilè patiantur *ſeriorem* illam *Megarenſium* tranſlationem, nec proinde *ſeriorem*, quam dixi, Epocham quâ *tyrannidem* ſuam, pro rationibus hiſce tenuerit *Phalaris.* *Priori* ergo *Epochæ* conditarum

Herodot. VII. 156.

Syracuſarum potiùs, ni fallor, adhærendum eſt.

21. Convenit ætas *Steſichori* ſi quidem *Olymp.* 37. *natus* fuerit, ut vult *Suidas*; *mortuus* autem *Olymp.* 58, vel 59. minor *Homero* & major *Simonide*.

His autem *Phalaridis* temporibus non convenire fateor ætatem *Steſichori*, quà quidem illam antea repræſentavimus è *Chronico Marmoreo*. Et meritò fidem *Marmoris* hic ſuſpectam probavit Cl. *Bentleius* è meliori, quàm ſit Auctor ipſe *Marmoris*, Auctore, ipſo nempe *Simonide*. Illud ipſum de *ſuâ ætate* teſtem adduxit plane exceptione majorem *Simonidem*. Nempe annum ſe, *Adimanto* Archonte, egiſſe *ætatis* LXXX^m^. Erat annus ille, pro noſtris rationibus *Olymp.* LXXV. $\frac{3}{4}$. Proinde U. C. *Varr.* 277. Sic *natus* fuerit ann. *Varr.* 197. *Olymp.* LV. $\frac{3}{4}$. Et rurſus ſe majorem *Steſichorum* agnoſcentia protulit ejuſdem verba *Simonidis*, quæ *medium* inter ſe *Homerúm*que *Steſichorum* ſupponant. Ætas ergo iſtiuſmodi *Steſichoro* aſſignanda erit quæ & *majorem* illum faciat *Simonide*, & *Homero* nihilominus *minorem*. Hæc enim adeo *raram* (his præſertim temporibus) *certitudinem* habent ut meritò *normæ* loco habenda ſint. *Natalem* ergo *Steſichoro* eum aſſignamus quem aſſignavit *Suidas*, nempe *Olymp.* XXXVII. Nec enim docuit *Suidas* Olympiadis *annum* quem *natalitium* habuerit *Steſichorus*. Hauſit enim, ut opinor, è *Grammatico* aliquo *Chronologo* qui *antea* vixerit quàm mos eſſet *annos* Olympiadum *medios Archontibus Atticis* deſignare. *Alium* Veterum *neminem* habemus qui *natalem* ejus

ejus diſertis verbis prodiderit, nedum ab hoc natali *diſcrepantem.* Fateor equidem ad *Olymp.* XLII. verba illa legi in Chronico *Euſebiano : Steſichorus Poëta clarus habetur.* Græca, ut opinor, *Euſebij* ſervavit *Cyrillus Alexandrinus* qui ſic habet eâdem *Olympiade :* Στησίχορος Adv. *Julian.* L. I. p. 12.
ἐγνωρίζετο. Non tamen *natalem* neceſſariò deſignant verba illa, quanquam voce Hieronymianâ *agnoſcitur* Olymp. XXXV. *Thaletis natalem* deſignari certum ſit. In *Euſebiano Chronico* plerumque inſignem quemlibet illius, de quo agitur, *eventum* denotat, qui, pro hoc *Suidæ natali*, locum habere potuit in *Steſichoro*, cum jam *annum* ageret circiter XX^m. Sed *mortem* Steſichori *Olympiadi* LVI. idem aſſignat *Suidas.* Sic quoque locum habebit in tyrannide *Phalaridis*, pro illis quoque quas dedimus, rationibus. Et quidem ita ut in annum *Phalaridis* inciderit, ſaltem, *octavum.* Sed annos *Steſichori* XII. *poſtquam* peperciſſet ei *Phalaris Hymenæos* ſuos in *Phalaridem* incitanti agnoſcunt *Epiſtolæ* illius nomine conceptæ. Phalar. Ep. 103.
Neque id precariò aſſeruiſſe veterem Epiſtolarum *conditorem* exinde veriſimile eſt, quòd tot habuerit Auctores, qui jam olim perierint, è quibus res geſtas *Phalaridis* didicerit, hominumque *nomina* cum quibus *commercium* habuerit Tyrannus. Ita *Hiſtoricos* à ſe conſultos profitetur, quicunque demum is fuerit, qui ſub *Mithridatis* nomine, novis commentitiis *Bruti* Epiſtolis ſcripſit *Reſponſorias.* Sic tamen facilè nodum ſolvemus

ſolvemus ſi numerum annorum *auctiſſimum* ſequamur quem tribuit *Steſichoro Lucianus.* Hic enim annos *Steſichori* agnoſcit in univerſum LXXXV. Nempe *Olympiade* XXI. & annum præterea *unum*. Pertingent hi ad *Olymp.* LVIIIm· vel etiam fortaſſis LIX. ſi quidem *Olymp.* XXXVII. *ultimo* ortum habuerit *Poëta.* Ad annum autem *Phalaridis* XVIIm· ſi *Olymp.* XXXVIIº anno vel Iº *natum Steſichorum* ſupponamus. Et ſane in hac, de quâ agimus, antiquiſſimæ vetuſtatis *Chronologiâ,* numerum quemque *maximum* veriſimillimum eſt fuiſſe etiam *veriſſimum.* Cum enim numeros *annorum,* quibus vixerint viri illis temporibus inſignes, nullos ſervaſſent *coæva* monumenta; inde factum ut *juniorum* Grammaticorum *longo* intervallo illis proximorum *ratiociniis* illos plerumque debeamus. Hi ſi quemcunque *vitæ* ſuæ *annum* Auctor ipſe aliud agens obiterque, memoriæ prodidiſſet; hunc vitæ *ultimum* exiſtimabant. Idem, ſi *variorum* meminiſſet ipſe, vel alij quivis proximi illius memoriæ teſtes; illos quoque, ſi ſinguli *Grammatici* in ſingulos *numeros* incidiſſent, pro *ultimis* habebant. Inde *tot* illæ, tamque invicem *diverſæ,* de hominum eorundem *vitis* ſententiæ. *Maximarum* autem *ſummarum* fides ſi pari, quâ & cæteræ, teſtium credibilitate aſtruerentur; hoc certè nomine reliquis anteferenda erant, quòd *majores* quæque ſummæ *minorem* veritatem ſupponerent, non item viceversâ. Non ergo

Lucian. Macrob.

pugna-

pugnabant numeri *minores* quo minùs *maximi* quique ſuerint etiam *veriſſimi. Pugnabant maximi* quo minùs *inferiores* quique pro vitarum annis *ultimis* haberentur. Sic ergo *major* fuerit *Simonide Steſichorus*, qui *tum* deceſſerit cum *annum* ageret XII. aut non multo plures *Simonides.* Idem tamen junior *Homero*, qui vixerit, ut probavimus, poſtea quàm graſſarentur in *Aſiâ Cimmerij*, qui tum potiſſimùm in *Aſiâ* rerum potiebantur cum naſceretur, pro hoc ſaltem calculo, *Steſichorus.* Potuit ergo ſimiliter annum *Steſichori* XII^m. attigiſſe *Homerus*, ut XII^m. *Simonidis* annum attigit *Steſichorus.* Et antea uterque deceſſerit, tam *Homerus* quàm *Steſichorus*, quàm vel *Homerum* vivum æmulari potuerit *Steſichorus*, vel *Steſichorum Simonides.*

Sunt tamen viceverſâ quæ ægrè admodùm, 22.
ſi *vel* ægrè quidem patiantur ut tam *cito* erutus fuerit tyrannide *Phalaris.* Neſcio an patiatur ætas patris *Heſiodi* ut *natales* adeo vetuſti aſſignentur illius filio *Steſichoro.* Sunt quidem *Heſiodi* pleraque ſuſpecta, ut conſtat è *Pauſaniâ.* Multo autem magis quæ nullo teſtis nomine deſignato narrari apud Veteres ſolebant de illius morte Traditiones. His itaque non eſt cur admodùm fidamus. Atqui certè ſi quod habeamus illius Opus genuinum, hoc eſt profectò quod Ἔργα καὶ Ἡμέραι inſcribitur, ut ex eodem diſcimus *Pauſaniâ.* Nec locum inter hujus Operis ſuſpectas

Steſichorus ille, à *Chori* στάσει ab eo excogitatà ita cognominatus.

Pauſan. Bœotic. c. 31.

ſuſpectas lacinias habent quibus τεϱπῶν meminit Poëta, è patriæ *Bœoticæ* Archivis idem docet *Pauſanias*. Sed *Olymp.* XXXVII. (quâ *natus* traditur, pro modò dictis rationibus, *Steſichorus*,) nondum credibile *Græcis* innotuiſſe τεϱπὰς quas *Græcis* inventoribus multo *junioribus* tribuunt ipſi *Græci*. Prima omnium *Eclipſis*, quæ etiam à *Chaldæis* obſervata fuerit, ad annum refertur *Nabonaſſareum* 27. Periodi *Julianæ* 3993. U. C. *Varr.* 33. qui idem erat *Olymp.* XIV. $\frac{3}{4}$. Ita ſcilicet ut eo anno *Olympiadis priori* exeunte contigerit *Eclipſis*. Ita ne quidem *unius* Seculi *Obſervationes* ipſis *Chaldæis* ſuppetebant ad formandas cœleſtium motuum *hypotheſes* cum naſceretur *Steſichorus*, quæ quidem hypotheſes apud ipſos *Chaldæos* accuratæ proinde eſſe non poterant, multo autem minùs apud *Græcos*. Se porro ultra *Chalcidem Eubœæ* navigâſſe ipſe quoque negat *Heſiodus*. Proinde non eſt cur illum *Aſtronomiæ*, quam callebat, peritiam ex *Oriente* hauſiſſe, ipſiſque *Aſtronomiæ fontibus*, exiſtimemus, quorum nulli etiamnum in *Græciam* rivi emanaverant. Nec porro credibile eſt; (ſi quidem pater *Steſichori* fuerit *Heſiodus*, & quidem hoc ipſo nomine violatæ *Steſichori* matris à *Steſichori* avunculis, matris autem fratribus, fuerit interfectus) diu illum, poſt editum *Steſichorum*, ſuperſtitem eſſe potuiſſe. Vix ergo hac *Olympiade* XXXVII. perire potuit *Heſiodus*, cui tamen diu ſuperſtes eſſe non potuit

potuit ſi hac demum *Olympiade* genuerit *Steſichorum*. Sed ne quidem de patre *Steſichori* magis ſibi conſentiebant Veterum ſtemmata *Genealogica* quam de aliis virorum tunc inſignium parentibus. Nec rationem, cur *ſententiam* illam quæ ortum *Steſichori* ab *Heſiodo* arceſſiverit, aliis prætulerit Vir ſane ſuo Seculo Maximus plurimæque lectionis *Ariſtoteles*, habemus exploratam. Interim tamen ex illâ ipsâ Stemmatum *Genealogicorum* diſcordiâ hoc ſaltem diſcimus, quàm cauti eſſe debeamus in ſententiis *ſingulis* admittendis quæ ne quidem *conſentaneâ* majorum *Traditione* nitebantur. Maximè verò, ſi *pares* invicem *ætate* fuerint *ſingularum* teſtes, quod quidem jam neſcimus, cum teſtium non *tempora* modò, verum etiam *nomina* ipſa interciderint. Non ſunt ergo pro *Chronologiæ* normis habenda quæ tam *infirmâ* teſtium *fide* fulciuntur. Hoc certè *Hiſtoriæ* tam, ut probavimus *incertæ* ſpatio ſatis erit ad hanc ſententiam aſtruendam, ſi vel *minori* teſtium *diſcordiâ* aſſerantur quæ ad hujus ſententiæ confirmationem adduximus, quam illa quæ contrariæ faveæ potiùs videtur, *genealogia Steſichori*. Intereſt profectò Reipublicæ literariæ, ut hoc præſertim Hiſtoriæ ſtudio, quo tam pauca certa ſunt, *certiora* ab *incertioribus* accuratiſſimè diſtinguamus. Alium verò *recentioremque* natalem habuerit oportet *Steſichorus* ille Marmoris *Oxonienſis* qui *Athenas* veniſſe traditur Archonte *Philocrate Olymp.* LXXIII.

LXXIII. $\frac{3}{4}$. Anno proinde *Varr.* 269. Hic ſi anno vitæ *ultimo* (quem LXXXV. fuiſſe diximus) *Athenas* venerit, *natus* fuerit oportet *Olymp.* LII. $\frac{2}{3}$. ipſo Urbis *Agrigentinæ* initio, pro nonnullorum hypotheſibus. Sed *ſerior* illa Epocha eſt quàm ut vel noſtris conveniat rationibus, ut rectè obſervavit doctiſſimus *Bentleius.* Cæterum alius erat, ut opinor, juniorque *Steſichorus* coævus *Æſchylo.* Non autem *primus* ille qui *Tyſias* proprio nomine appellatus *Steſichori* cognomen adeptus eſt ſi *Chorum* primus invenerit in quo
Ariſtot. Poëtic. c. 4. *plures* Perſonas uſurpavit *Æſchylus* primo illo, de quo agimus, *Steſichoro* proinde junior. Ita quidem Argumentandum eſſe cenſerem, ſi ad primam *Chori* conſtitutionem, vel (quod eodem redit) *inventionem*, referendum eſſet cognomen illud *Tyſiæ* ſuperadditum *Steſichori.* Sed στάσις illa, ni fallor, unde nominis fluxit Etymon, ad χοροῦ στάσιν potiùs ſpectat, quàm ad ipſum χορεύειν. Hanc itaque à *Steſichoro* inventam fuiſſe veriſimillimum eſt. *Chorum* enim jam antea excogitaverit *Arion Methymnæus* rerum *Corinthi* potiente *Periandro.* Hoc docet è
Phot. Cod. 239. *Procli Chreſtomathiâ Photius.* Sed κύκλιον illum appellavit *Proclus* Chorum, nec ullâ proinde στάσει, quòd *ſaltantes* in *orbem* agerentur.
Ariſt Poët. c. 12. Et tamen *Chori* στάσιμον memorat *Ariſtoteles*, appellatque μέλος χοροῦ τὸ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου. Et meritò quidem. Erant enim in *Tragœdiis*, quales erant ætate *Ariſtotelis*, reverâ στάσεις ab hoc noſtro, ut videtur,

detur, excogitatæ. Rem totam paucis exponit *Marius Victorinus.*

Antiqui, inquit, *Deorum laudes carminibus* 23.
comprehenſas circum aras eorum euntes canebant, Στάσις il-
cujus primum ambitum quem ingrediebantur ex la, unde
parte dextrâ στροφὴν *vocabant. Reverſionem* *Steſichoro*
autem ſiniſtrorſum factam completo priore orbe, nomen,
Antiſtrophon [potiùs ἀντιστροφὴν] *appellabant.* *ſtatio* erat *Epodica.*
Dein, in conſpectu Deorum ſoliti CONSISTERE, *Cantici reliqua conſequebantur, appellantes id Epodon. Nam Epodos eſt tertia pars aut periodus Lyricæ Odes.* L. I. p. 74. Convenit accuratè *Vetus*, quicunque demum is fuerit, *Grammaticus* Pindari *Scholiaſtes* : Ἡ δὲ ἐπωδὸς ἱσταμένοις διεβιβάζετο. In *Bacchi* honorem conſtat primas inſtitutas fuiſſe *Tragœdias.* Proinde merito ad reliquarum ſacrarum *Odarum* mores tum receptos exigendus. Sed vero conſtat *Odas* ſacras omnes à *ſaltantibus* fuiſſe decantatas, in quibus proinde μέτρα *verborum* ad μέλη *Inſtrumentorum Muſicorum* fuerint accommodati, utraque autem *ſaltantium* ῥυθμοῖς reſponderint. *Choreas* duxit *præcentor* idem & *præſultor*, inde *præſul* appellatus, quem *Chorus* imitabatur non *cantu* modò, verumetiam *ſaltu*, ab ipſis illis Χορείαις *Chori* nomen adeptus. Primus autem antiquiſſimuſque ritus *adorantium* erat ut numinum à ſe cultorum *aras ſaltantes cantanteſque* circuirent. Et quidem *initio* facto *dextrorsùm*, plane ut à *Mario Victorino* deſcribitur. De

Romanis

Romanis ita *Plutarchus* in *Camillo* Ταῦτ' εἰπών, καθάπερ ἐστὶ Ῥωμαίοις ἔθος ἐπευξαμένοις καὶ προσκυνήσασιν ἐξελίττειν, ἐσφάλη περιστρεφόμενος. Similia habet in *Numa* & *Marcello.* Et in Quæſt. *Rom.* p. 270. Nec aliter *Caligulam* adoravit *Vitellius* cum *vitam* ſuam hoc adulandi artificio mercaretur. Nec alium *Ebræis* morem fuiſſe conſtat, *Pſ.* XXVI. 6. *circumdabo altare tuum Domine.* Et *Pſ.* XXXII. 7. *Canticis redemptionis circumdabis me.* Ita in *Ebræo.* Tantundemque valet ac ſi diceret, efficies ut *altare* tuum *ſaltando circumeam,* dum *hymnos* tibi in novorum beneficiorum memoriam compoſitos decanto. Inde fortaſſe περιβωμισμοὶ illi *Gentilium* quorum tam frequens mentio apud *Malelam* pœnæ nomine, in occultos *Idolorum* cultores, ſub *Chriſtianis Principibus,* illati. Ut ſcilicet quæ *ſeriò* præſtare ſolebant in *Deorum* ſuorum *cultu,* eorum imaginem præſtare cogerentur *Chriſtianis ludibrio* futura. *Vapulâſſe* ergo veriſimile eſt circa *altaria decurrentes.* Pro exemplo nimirum διαμαστιγώσεων *Laconicarum,* quæ etiam ipſæ ad *aram Dianæ Orthiæ* edi ſolebant. *Cultris* porro & *lanceolis incidi* poterant etiam *inviti* pro more *Gallorum* matris Deæ ſacerdotum, atque antiquiſſimorum *Idololatrorum,* 1 Reg. XVIII. 28. Hæc erat, ni fallor, Τρίασις, unde Τριασταὶ Victores in ſacris *Agonibus.* Nempe in *Odæis.* Nam & *Muſicos* Agones fuiſſe manifeſtum eſt. Et *cantum* illum στροφῆς, ἀντιστροφῆς & ἐπῳδοῦ Τριαστῶν fuiſſe agnoſcunt

Vid. *Meurſ.* Græc. Fer. L. II. p. 85.

agnoſcunt Grammatici Scholiaſtæ. Meminit Τελαστοῦ victoris *Africanus Olymp.* CLIV. Qui qualis fuerit rectiùs, opinor, hinc intelligemus quàm ex iis quæ Nos antea tradidimus in Tabulis ad Diſſ. IV. de Cycl. Græc. & Roman. p. 756. *Saltatio* ergo ab *Arione* inventa omni vacabat ςάσει, dum ſaltem *altaris* ambitum *univerſum* abſolviſſent. Eam autem interponebat *Steſichorus*, ut, *medio* etiam *ambitu*, cum *vultus* in Deorum *ſimulacra* converſos haberet, à *ſaltu* quieſcerent aliquantiſper, & *Odis* tantummodo vacarent. Has ergo moras *Græci* nunc ςάσεων nunc καθισμάτων nomine deſignabant. Quid ſcilicet *ſaltatione* abſtinentes *ſteterint* vel etiam *ſederint*, dum *Epodos* cantarent. Στάσιν agnoſcunt *Græci* quoties de *ſuis* moribus loquuntur in *Epodorum* cantu. Aliter de *Romanis Plutarchus*. Nam à *Numâ Romanæ* Religionis auctore inſtitutum docet, καὶ τὸ προσκυνεῖν περιστρεφομένους, καὶ τὸ καθῆσθαι προσκυνήσαντας. Nec *Romanorum* proprium erat ut precibus peractis *ſederent*. Idem *Græcos* obſervâſſe docet *Pindarus*. Sic enim à temporibus *Heroum* antiquiſſimis *Herculem* oratione ad *finem* perductâ *ſedentem* introducit. Sic enim habet: Ὣς ἄρα εἰπών, αὐτίκα Ἕζετο. Sed facilè illa invicem conciliabuntur ſi dicamus *utrumque ſitum* ab *utriſque*, in *orando* obſervatum, & quidem à *temporibus* admodum *antiquis*. Ita ſcilicet ut *interpolatæ* Orationis ſpatia *ſtationibus* diſtinxerint, *ſeſſionem* autem non alibi Iſthm. VI. v. 81, 82.

præterquam in Orationis *fine* adhibuerint. Utrumque *ſitum* in *Orando* memorant literæ etiam *Sacræ : Stationem* quidem 1 *Reg.* VIII. 22. quæ tamen *ſtatio genufleĉtio* appellatur V. 55. Proinde *ſaltationi* opponitur *ſtatio* illa, non autem *fixo* alicui in *eodem* loco *ſitui.* Sic rurſus *ſtationem* cum *oratione* commiſſam legimus *Pſ.* CVI. 30. S. *Luc.* XVIII. 11. Et tamen *ſeſſionem* cum *oratione* eædem nectunt Sacræ literæ, 2 *Sam.* VII. 18. *Jon.* III. 6. Hinc emanavit, ni fallor, etiam ad *Chriſtianos* harum *vocum* uſus. De *Chriſtianorum Choreis* laudes numinis concinentium ita S. *Chryſoſtomus* : ἑςήκασι τὸ ἅγιον ςησάμενοι χορόν. Inde nomen *Stationum* vetuſtiſſimis *Chriſtianorum Romanorum jejuniis*, ut docet *Hermas* temporum *Apoſtolicorum* Scriptor *Romanus*, L. III. Simil. V. 1. quas quidem *ſtationes* ſolvi ſolitas, *accepto corpore Domini*, teſtatur *Tertullianus*, ipſe quoque poſt *Hermam Clementém*que, Scriptor *Chriſtianorum Romanorum* vetuſtiſſimus. Vel hinc apparet ad *aras Chriſtianorum*, & *Sacrificia* eorundem *Euchariſtica*, illas relatas fuiſſe *Chriſtianorum ſtationes*, & proinde ad *hymnos* qui *Euchariſtiam* comitari ſolebant, pro *vetuſtiſſimo* ſacrificantium ritu, *Euchariſticos.* Nec enim aliis quàm *Synaxeon* diebus illæ celebrari ſolebant *Chriſtianorum ſtationes.* Nec antiquiſſimæ *Synaxes* ullæ ſine *Euchariſtiâ*, quam tamen, fateor, his *Chriſtianorum Stationibus* abſtuliſſe poſterorum *ratiocinia.* Sed, ſi de *primævis* Apoſtolicorum temporum loquamur

De Orat. c. *ult.*

Socr. Eccl. Hiſt. V. 22. *Sozom* Eccleſ. Hiſt. VII. 19.

loquamur *ſtationibus*, in illis certè tenemus harum *Epodicarum ſtationum* manifeſta veſtigia. Nec aliter, opinor, in majorum noſtrorum καθίσμασι *Sedendi* morem *finitâ oratione*, agnoſcit idem, qui ſuprà, Auctor *Chriſtianus* Apoſtolicus *Hermas* L.2. Procemio. Et verba *Hermæ* agnoſcit *Tertullianus*. Et tamen morem *quibuſdam* tantummodo fuiſſe idem indicat *Tertullianus*, ut *expletâ* Oratione *ſederent*. Inde facilè intelligimus, quanto fuerit *Tertulliano* antiquior *Hermas*, cum jam in *deſuetudinem* fere abiiſſet mos ille *veterum Romanorum*, tam *Gentilium*, quàm *Hermæ* ætate, *Chriſtianorum*. Fidem certè ab Eccleſiâ *Romana* Eccleſias accepiſſe *Africanas*, tam [1] *Tertullianus* Auctor eſt, quàm etiam ſæpe S. *Cyprianus*. Et multo juniores [2] *Africanas* ingenuè fatetur ipſe *Tertullianus*. Vix eſt cur dubitemus quin, cum fide, receperint Eccleſiæ *Romanæ* etiam *mores*. Spatio ergo *medio* inter *Hermam Tertullianúm*que interciderit oportet *mos* ille *ſedendi finitâ Oratione*. Imò in Eccleſiâ ipsâ *Romanâ*, antea fortaſſe quàm ad *fidem* converſæ eſſent Eccleſiæ *Africanæ*. Vix poterant alioqui adeo obſcura in Eccleſiis *Africanis* hujus moris conſtare veſtigia ſi etiamnum viguiſſet in *Romanâ* cum fidem *Afris* inferrent coloni *Romani*. Hinc obiter intelligimus, parem *Apoſtolicis temporibus* fuiſſe hunc, de quo agimus, Librum *Hermæ*, quem Auctor ſub *Clemente* ſcripſit *Romano*. Utrumque me-

Tertul. de Orat. c. 12.

[1] *Tertul.* Præſcr. c. 33, 36.

[2] *Tertul.* lib. c. 32.

morat S. *Paulus*, tam *Clementem* quàm etiam *Hermam*. Et quidem *Hermam* in Eccleſiâ ipsâ *Romanâ*, qualis in hoc Opere ſupponitur.

24. Sed verò redeamus tandem unde diſceſſimus. Ex hac enim *στάσει Epodicâ* à *Steſichoro* inventâ ætatem illius colligimus illis, quæ diximus, ſatis conſentaneam. *Rhythmis* ſaltantium *metros* canentium reſpondiſſe certum eſt. Proinde congruum erat, ut qui novam *ſaltandi* legem excogitâſſet, idem & *metrum* legi à ſe poſitæ convenientem excogitaret. Et ſane *metrum* in ſtationibus *Epodicis* minimè vulgarem obſervavit non minùs *Grammaticorum* quàm *Philoſophorum* ſui Seculi princeps, uti vidimus, *Ariſtoteles*, qui *Anapæſtis* caruerit & *Trochæis*. Et *modum ſtationum* à *Steſichoro* inventum qui poſt *Strophas* & *Antiſtrophas* intercalârit *Epodos* obſervavit *Pindarus* in quo etiam metros *Steſichoreos* paſſim notant *Grammatici* veteres *Pindari Scholiaſtæ*. Ne quidem illos alienos à formâ quam docuit *Ariſtoteles*. Cur itaque dubitemus quin hæc vera fuerit *Chori στάσις* à quâ *inventâ* acceſſit appellatio *Steſichori*? Hæc autem omnia de *primo Steſichoro* intelligenda ſunt. Nam ad *primos* quoſque *nominum participes* ſpectat nominis *Etymologia*, non autem ad *poſteros* eodem nomine appellatos. Malè enim *Cæſaris* Etymologiam in *Julio* quærunt imperiti *juniores*, ſeu ab infantis mox

Ex hujus *στάσεως* inventæ tempore colligitur ætas *Steſichori* inventoris.

mox in lucem editi *Cæſarie* nominis origo fuerit; ſeu inde potiùs, quòd ex *utero* matris *cæſo* prodierit. In *primo Cæſare* hæc expectanda erant, qui *multi* erant ante *Julium.* Proinde *primus* fuerit oportet *Steſichorus* qui *Chori* στάσιν excogitarit. Et ad *primi* adeo *Steſichori* ætatem eruendam hæc nota referenda eſt, qui à natalibus *Tiſiæ* nomen habuerat, non *Steſichori. Pindaro* certè *antiquiorem* fuiſſe neceſſe eſt, qui & στάσεις illius uſurpavit *Epodicas* & *metros Steſichoreos.* Imo *Steſichori* illius in *Græciam* adventu quem Archonti *Philocrati Olympiad.* LXXIII. $\frac{3}{4}$. tribuit Auctor Chronici *Oxonienſis* Marmorei. Sed victoriam *Hippocleæ Theſſali* canit *Pindarus* Pyth. XXII. quæ cum *Olymp.* LXX. $\frac{2}{3}$. concurrebant, & quæ *prima* erat illius *Hippocleæ* victoriæ. Facilè enim hoc colligimus è *Pindari* verbis: Γεύεται γὰρ ἀέθλων, Pyth.X. v.11. Et tamen hac ipsâ quoque *Odâ* στάσιν *Epodicam* à *Steſichoro* inventam adhibet idem *Pindarus.* Hoc ergo *anno* certum eſt in *Græciâ* quoque jam innotuiſſe *Steſichori Himeræi* inventum. Nempe *annis* ad minimum XIII. *antea* quàm alius ille Marmoris *Steſichorus* in *Græciam* penetraret. Nec tamen *nuperam* tum quoque στάσεως *Epodicæ* inventionem innuit *Pindarus.* Fieri poteſt ut *Heſiodi* filius *ſecundus* ille fuerit juniorque *Steſichorus*, cum *primi Steſichori* natales multis *cæde Heſiodi* annis *antiquiores* probavimus. *Fugatum* enim, mox quàm in lucem ederetur,

Vid.Schol. in *Olymp.* III, VI, VII, XII. *Pyth.* XII. *Iſthm.*I.II.

F 3 exinde

exinde veriſimile eſt, quòd violatæ *patris* pudicitiæ nomine occubuerit *pater* illius *Heſiodus*. Hæc cauſa eſſe potuit cur *grandævus* tandem in *Græciam* acceſſerit. Poterat idem *extra Græciam* etiam *naſci* ſi *gravida* mater ex *Heſiodo* metu fratrum è *Græcia* profugerit. Sed illius *ortûs* vel *memoriæ* cauſa eſſe potuit ſatis opportuna cur denuo *grandævus* de itinere in *Græciam* cogitârit, *famâ* nominis in *Græciâ* notus acceptuſque, & *extinctâ* veteris *inimicitiæ* memoriâ, cum *patris* manibus, *Oraculo* præcipiente, fuiſſet parentatum. Sed *alium* junioremque *Steſichorum* habet Auctor Chronici *Oxonienſis* Marmorei. Et *ſecundum* illum numerat, qui tamen *tertius* fuerit oportet ſi *alius* fuerit *Steſichorus* ille filius *Heſiodi* à *Tiſiâ* ſeu *primo* omnium *Steſichoro*. Verba Marmoris *Epoch*. 74. ita ſe habent: Ἀφ᾽ οὗ Στησίχορος ὁ Ἱμεραῖος ὁ δεύτερος ἐνίκησεν Ἀθήνησιν, &c. nectunturque cum ortu *Megalopolis Arcadicæ*, qui clade *Leuctricâ* recentior erat, & poſt Archontem proinde *Phraſiclidem Olymp*. CII. 2. Sed poterat *Steſichorus* ille poſtremus *ſecundus* numerari *Himeræus*, quòd patriâ *Himerâ ſecundus* fuerit. Filium enim *Heſiodi Steſichorum Himeræum* fuiſſe nihil eſt quod probet. Erat *Heſiodus* ipſe *Bœotus*, nec è *Dorum* illorum numero qui colonias in *Siciliam* deduxerint. Imo *alium* fuiſſe *Steſichorum*, qui non fuerit *Himeræus*, innuunt verba ipſa Marmoris non quemvis *Steſichorum*, etiam *ſecundum* deſignantia, ſed talem tantummodo

Ap. *Athen*. L. XII. c. 1. p. 512, 513.

tummodo qui fuiſſe *eâdem*, quâ & primus *patriâ* ortus *Himerâ*. Poterunt etiam *verba* Marmoris intelligi non de *ſecundo* ſimpliciter *Steſichoro*, ſed de *ſecundo* qui vicerit *Athenis*. Priorem tamen interpretationem prætulerim, quæ & ipſa veriſimilior eſt, quæque magis cum Chronologiâ *Phalaridis* conſentit à nobis aſſignatâ. Et *Himeræum* fuiſſe veriſimillimum eſt, quicunque demum is fuerit, qui rem habuit cum *Phalaride*. *Ætatem* præterea *Steſichori* prodit, quod primus vitam *Herculis* pro *voluptuoſâ laborioſam* fecerit, quam & *Homerus* & medius inter *Homerum* & *Steſichorum* *Xanthus* μελοποιὸς *deliciis* deditam deſcripſerint. Produnt etiam illius de *Eclipſium* naturâ imperitæ hallucinationes, tunc illum vixiſſe cum plane *infans* eſſet apud *Græcos* *Aſtronomia*. Nos autem jam *terminos* poſuimus infra quos quærenda ſit *primi Steſichori* ætas. Probavimus jam ante *Olymp*. LXX. $\frac{2}{3}$. στάσιν ab eo *inventam* eſſe, & in *Græciam* emanâſſe, à quâ cognomen *Steſichori* nactus fuerit qui *Tiſias* antea fuerit appellatus. Imo ne tum quidem fuiſſe apud *Græcos* ipſos *nuperam*. Et tamen *juniorem* fuiſſe probavimus *Arione* qui *Chorum* κύκλιον repererit quem στάσιμον fecerit *Steſichorus*. Vixit *Arion* ille ſub *Periandro Corinthiorum* tyranno (quem VII. *Græciæ Sapientibus* accenſent nonnulli) ut nos docet *Herodotus*. Tenuit *Periander* annis XL. ab *Olymp*. XXXVIII. 4. ad *Olymp*. XLVIII. 4. Hoc ergo ſpatio floruit *Arion*, quem

Herodot. I. 23, 24.

quem *Corinthi* & ſub principe *Periandro Muſicis* vacâſſe antea quam in *Italiam* concederet, idem oſtendit *Herodotus*. Nec erit incommoda *ætas Steſichoro Suidâ* aſſignata ut *Chorum Cyclicum* ab *Arione* inventum *Steſichorus ſtationarium* fecerit, & *cognomen* inde adeptus fuerit ante ætatem *Phalaridis*.

25. E *Cliſthenis* mentione colligitur ad *Olympiad.* LXVIII. propius acceſſiſſe finem *Phalaridis.*

Sed *poſtremæ* temporis, quo vixit *Phalaris*, notæ à nobis memoratæ Diſ. V. 10. ſi quidem *veræ* ſint, ægrè patientur ut tam *antiqua* fuerit cædes *Phalaridis*. Videamus ergo quid attulerit in contrarium Cl. *Bentleius*. Primam duximus à mentione *Cliſthenis* jam in *exilio* agentis. Hic ſi *Cliſthenes* fuerit *Archon* & *Legiſlator Athenienſis*, ante *Olymp.* 67. ¾. annumque *Varronianum* 245. *Phalaris* perire non potuit. Hoc enim anno, pulſis *Piſiſtratidis*, muneribus illis fungi potuit *Cliſthenes*. Nec *multa* hujus Seculi *tempora* habemus *exploratiora*. Unde autem didicit Epiſtolarum Auctor *Cliſthenem* fuiſſe *Phalaridis* ἀδελφιδοῦν qui civium ingratitudine exulârit, præterquam ex illis ipſis *ſtemmatibus* illius Seculi *Genealogicis* quæ tanti fecit Cl. *Bentleius*? Ego quidem cur eodem loco non habeam, dedi jam, idoneas, ut puto, rationes. Sed vel inde colligitur *teſtes* fuiſſe Epiſtolarum *conditori* minimè ſpernendos, ſiquid fuiſſet ſolidi in *ſtirpibus* temporum *Phalaridi*
P. 88. proximorum *Genealogicis*. Sed *alium* aliquem *Cliſthenem* fuiſſe cenſet Vir doctiſſimus quem

ob

ob oculos habuerit *Epiſtolarum* Scriptor, non illum celeberrimum *Athenienſem*. Edat ergo alium, ſi poteſt, è monumentis Sophiſtæ exploratis. Vel ſaltem fateatur fuiſſe illi monumenta è quibus hæc aliaque haurire potuerit, quæ tamen jam diu interciderint. Non potuit certè *major* ille fuiſſe *Cliſthenes Sicyonius* qui *avus* erat maternus *Cliſtheni*, de quo loquimur *Athenienſis*. *Tyrannus* erat *Cliſthenes* ille *Sicyonius*, contra *Cliſthenes Phalaridis conſobrinus* Tyrannorum *hoſtis* erat infenſiſſimus. Nec *exulem* fuiſſe unquam *Cliſthenem Sicyonium* innuit *Ariſtoteles*. Certè *Herodotus* dum legem à *Cliſthene Sicyonio* latam non *antea* mutatam fuiſſe docet quàm effluxiſſet annus ab illius *morte* ſexageſimus. Sed *matrem* habuit, inquit Vir doctus, *Cliſthenes Athenienſis* aliam *Agoriſtam*; cum tamen *Cliſthenis*, ad quem ſcribit ipſe, *matrem* alio nomine appellet *Phalaris Autonoen*. Sed *utriuſque ſexûs* parentes nominum *diverſiſſimorum* fuiſſe probavimus in antiquiſſimis hiſce *Genealogiis* ibidemque oſtendimus ne quidem magni facere hoc ipſum Argumentum in causâ *Pythagoræ* & *Phrynichi* Pcëtæ ipſum Dominum *Bentleium*. Cæterùm *Oſtraciſmo* exulâſſe *Cliſthenem* exiſtimat Vir doctus *Athenienſem*: Non item hunc, de quo *Phalaris*, quem *pecuniâ* mulctatum, cujuſque bona *vendita*, quæritur *Phalaris*. Hæc enim ab *Oſtraciſmo* aliena erant. Sed *Oſtraciſmum* cum *Exilio* propriè ſic dicto confundunt ſæpe juniores Grammatici ab illorum temporum Originibus

Politic.

Supr. §. 12.

nibus remotiores. Exempla habemus in utroque *Thucydide*, tam *Hiſtorico* quàm & antiquiori *Politico* qui coævus erat *Pericli* & *Cimoni*. Et bonorum *proſcriptionem* addunt, quacunque demum de causâ, à Republicâ exulantibus. Nec penitus abſurdè, cum in *Proſcriptiones* ſæpiſſimè deſierint *molliora* quoque *Exilia* atque *Oſtraciſmi*. Unde tamen collegit Vir doctiſſimus pœna *duntaxat Oſtraciſmi* mulctatum eſſe *Cliſthenem*? Ex unico tantummodò *Æliano*, qui tam verè aſſeruit *Oſtraciſmo* exulâſſe *Cliſthenem*, quàm & primum fuiſſe *Oſtraciſmi inventorem*, primumque itidem inventi *exemplum*. Sed *Theſeo* idem tribuunt alij, alij *Achilli Athenienſi*. Rectius tamen ſentire puto qui à notioribus *Piſiſtratidarum* temporibus utrumque repetunt. *Æliani* certè ſententia adeo incredilis eſt ut fallaciſſimum ſit quod ab eo deducitur Argumentum. Nam *piaculi* nomine *Cliſthenem* exulâſſe teſtis eſt *Herodotus* à quo alieniſſima erat pœna *Oſtraciſmi*. Sed nec minùs aliena erat, fateor, pœna quam ſupponit Epiſtolarum pater *Cliſtheni* illatum *proſcriptionis*. Fugato autem *Cliſthene* fugæ auctorem *Cleomenem* Regem *Lacedæmoniorum Athenas* veniſſe idem auctor eſt *Herodotus*, & *ſeptingentis familiis* eandem pœnam intuliſſe. Nihil obſtat quo minùs tum ad multam *pecuniariam* bonorumque *proſcriptionem*, ſaltem in *Cliſthene* proceſſerit, ne ducem reditûs haberent *pecunioſum* tot illi *malè* in *Rempublicam* animati *cives*. Sed *Cleomenis* illam

Ælian. Varr. Hiſt. XIII. 24.

Herodot. V. 70, 72.

potiùs,

potiùs, quàm *civium* ſuorum, fuiſſe violentiam docet *Herodotus*. Mox enim diſcedente *Cleomene*, rediit cum ſuis *Cliſthenes*. Habuit tamen *cives* hoſtes è factione *Iſagoræ* idem ille *Cliſthenes*. Et *cauſam* adeo habere potuit cur de *civium* ingratitudine quereretur Epiſtola ad *Cliſthenem* datâ *Phalaris*. Breve ergo *Cliſthenis* exilium fuerit oportet, ut *eodem* redierit, quo exulavit, *anno*. Ita *ejuſdem* fuerit *anni* Epiſtolæ quoque *Phalaridis* hac occaſione conſcriptæ. Nec *alienam* ab eo *Civitatis* ſententiam arguunt illæ ipſæ *Phalaridis* Epiſtolæ. Alioqui *reditum* in patriam ne quidem mercatura fuiſſet ſoluta ab ipſo mulcta. Nec *bona* licuiſſet *redimere* per *proſcriptionem* alienata. Nec *opportunum* fuiſſet Tyranni *conſilium* ne ſe rurſus *Cliſthenes Reipublicæ* immiſceret. Immeritò ſane ſi ſpes nulla affulſiſſet *redeundi* ad priſtina *munera* in *Republicâ* gerenda. Certum eſt *piaculum*, quo tenebatur, *Cylonianum* non obſtitiſſe quo minùs rediret, cum, reverſo *Cleomene*, ſui juris eſſe inciperet patria *Cliſthenis Athenienſis*. Rediiſſe enim qui *Piaculo* exulabant, non modo docet teſtis certiſſimus *Herodotus*, verum etiam *Thucydides*. Erat ſane ex eadem *Almæonidarum* ſtirpe, quâ *Cliſthenes*, oriundus etiam *Pericles*, agnoſcente etiam *Herodoto*. VI. 131. Et *Belli* quoque *Peloponneſiaci* initio hoc ipſum *Athenienſibus* objectum docet *Thucydides*, quòd *Periclem* ferrent in Republicâ *Athenienſes* quem *exulare* oportebat pro diſciplinâ *Piaculorum*. Utcunque tamen,

tamen, licèt *Piaculi* levior eſſet apud *Athenienſes* Accuſatio quàm ut *Cliſthenem* in *exilio* continere potuerit; *mulcta* nihilominus obſtare potuit, etiam immeritò impoſita, quo minus in patriam rediret niſi mulctâ *perſolutâ.* Manifeſtum erat exemplum in *Miltiade.* Nam ne *cadaver* quidem in carcere demortui ad *ſepulturam* concedi antea potuit quàm *ſe* patris loco in carcerem dedidiſſet ſuffeciſſetque *Cimon.* Erat enim inter *Patriæ* jura illud *Sepulturæ* vel præcipuum. Inde factum ut *damnatæ memoriæ* exules *ſepulturæ* jure infra patriæ Civitatis limites excluderentur. Exempla habemus in *Archeptolemo* & Rhetore *Antiphonte.* Ea cauſa erat ἀτιμιῶν. Et ſane ἀτίμοις accenſebantur qui geſti à ſe Magiſtratûs *rationes* non reddiderant. Hæc erat δοκιμασία. Nec δόκιμοι haberi poterant niſi mulctis *perſolutis.* Hæc enim locum inter *Ærarij* rationes habebant. Nec ſane eſt cur dubitemus quin *Piaculi Cyloniani* reos *honoribus* excluſerit *Cleomenes.* *Mulcta* ergo utroque nomine neceſſaria erat, tam ut *patriâ* arceretur ipſe, quàm cum ſuis *Cliſthenes.* Et viciſſim neceſſaria erat mulctæ *ſolutio,* ut patriæ redderentur & juri *munerum* in patriâ gerendorum. Nihil ergo alienum à moribus *Athenienſium* hucuſque complectuntur *Phalaridis* Epiſtolæ. Sic erit neceſſe ut ultra illum, quem dixi, annum *Varr.* 245. *Olymp.* 67.$\frac{3}{4}$. vitam produxerit *Phalaris.* Propiùs ergo acceſſerit ad terminum *poſteriorem* à nobis conſtitutum.

Plutarch. X. Rhet. in *Antiph.*

Quid

Quid verò tum, inquies, fiet de *Steſichoro?* 26.
Jam vidimus ex alio *Thaletis* exemplo, natalem *Steſichori* annum ſatis commodè intelligi poſſe in *Chronico Euſebiano*. Eſto ergo, natus fuerit, pro illis rationibus, *Olymp.* XLII. Ita annus ejus LXXXV^{us}. pertigerit ad *Olymp.* LXIII^{a}. annum ſaltem 2um. Inde annus *Olymp.* LXVI^{a}. 2us. numerabitur ab illius morte XII^{us}. Ne quidem, ſi ultimo *Olymp.* XLII. anno *editus* fuiſſet in lucem *Steſichorus*, vel ita tamen quid ſequetur incommodi, aut quod his rationibus adverſetur. *Multis* enim *annis* potuerit *Phalaris* Poëtâ *frui*, & tamen integro *duodecennio* eidem ſuperfuiſſe. Et certè ſi *Heſiodi* Poëtæ *filius* fuerit, *recentior* hic *natalis* erit priori veriſimilior, ut *Heſiodo* τεχναὶ innoteſcerent *his* demum temporibus *inventæ*. Sic quoque *medius* inter *Homerum* fuerit atque *Simonidem Steſichorus*, nempe *Simonide* ſaltem quinquagenario *major*. Et ſatis adeo commodè quæ de *Phalaride* habet *Pindarus* ex *Hiſtoricorum* Libris haurire potuerit & majorum *cantilenis* atque *Traditionibus*. Quippe qui *Patrum* potiùs memoriâ vixerit quàm ipſius *Pindari* hominumque *Pindaro* coævorum. Faverent admodum, ſiqua adduxiſſet Cl. *Bentleius* de ortu *Phalaridis* in *Siciliâ* Veterum diſerta teſtimonia. Non tamen ſpernendum exiſtimo quod ad recentiorem *Phalaridis* ætatem aſtruendam attuli de mentione *Epicharmi*. Sex annis, illum ante *Perſica* docuiſſe teſtatur *Suidas*. Annum

Idem colligitur è mentione *Epicharmi*.

Annum autem XC^m^· agnoſcit egiſſe *Laertius.* Magis autem accuratè ætatem ejus conſignatam exiſtimo à *Luciano*, qui annos ejus numerat in univerſum XCVII. quippe qui *maximum* quemque in his antiquiſſimis temporibus pro accuratiſſimo habendum cenſeam. Annus quo *Græciam Xerxes* aggreſſus erat, pro noſtris Tabulis, *Olymp.* $\frac{74}{75}$. $\frac{4}{1}$. Nempe *Varronianus* 274. Detrahantur ſex, ita anno *Varroniano* 268. *Olymp.* LXXIII. $\frac{2}{3}$. docuerit *Epicharmus*. Subductis inde *Olympiadibus* XXIV. & *uno* præterea *anno*, ita *Olymp.* XLIX. $\frac{1}{2}$. *natalitium* habuerit. Sic etiam ætas *illius* cum ætate *Phalaridis* conveniet pro rationibus etiam *Bentleianis*. *Natus* enim *Epicharmus* anno *Varroniano* 171. annum proinde egerit XXXIV^m^· *Olymp.* LVII. $\frac{3}{4}$. quo periiſſe *Phalaridem* cenſet vir eruditiſſimus. Annum enim *Phalaridis* XVI.^m^· (quem *ultimum* fuiſſe credit) cum *Olymp.* LVII. 3. committit, nempe *ineuntem*. Si pauciores *Epicharmo* anni juſto *ſeptennio* tribuuntur, cum *Laertio*, ſic annum *Epicharmus*, cum interficeretur *Phalaris*, egerit tantummodo XXVII^m^· Sed verò *Auctoritatem* unius *Epicharmi* plurimi facit *Phalaris* ſibi nempe patrocinantem; teſtiſque *gravitatem* cum alio quovis teſtium aliorum *numero* conferendam exiſtimat. Facilè vel inde intelligimus *famâ* jam *anniſque* celeberrimum fuiſſe, cum ita ſcriberet, *Epicharmum* utroque nomine, tam ſcilicet *Perſeos*, quàm etiam *Philoſophiæ.*

Lucian. *Macrob.* *Pag.* 32. *Ep.* 98.

Præſer-

Præſertim verò *Philoſophiæ*, cujus *Auctoritas* maximi facienda erat in *Tyrannide Phalaridis comprobandâ*. Inde præterea colligitur tum in *Occidentem* appuliſſe *Pythagoram*, cujus in *Philoſophiâ* diſcipulus erat *Epicharmus*. Hæc certè docent ætati *Phalaridis* à Viro docto aſſignatæ ne quidem convenire ætatem *Epicharmi* ab *illo* quoque ejuſdem *exitu* repetitam. Sed *Epicharmi exitum* tam antiquum ne quidem facit ipſe *Suidas*: Ἦν δὲ, inquit, πρὸ τῶν Περσικῶν ἔτη ἕξ, διδάσκων ἐν Συρακούσαις· ἐν δὲ Ἀθήναις Εὔετης καὶ Εὐξενίδης καὶ Μύλλος ἐπεδείκνυντο. Hoc volebat, ut opinor, cum primas Artis ſuæ ἐπιδείξεις facerent *Athenis* Comœdi *Attici* (quod factum innuit *anno illo* quem dixi) tum quoque celebre fuiſſe in Διδασκαλίαις *Syracuſanis* nomen *Epicharmi*, jam conſummati Διδασκάλου, non autem tantummodo Ἐπιδεικτοῦ. Vix eſt, ut puto, cur dubitemus quin Pcëtas *Atticos* Comœdiæ *primos* hoc in loco contulerit cum *Epicharmo Suidæ* Auctor, *Epicharmo* ipſo paulo *juniores*, ut inde, quod obſervaverat *Ariſtoteles*, ipſe etiam oſtenderet, *antiquiorem* apud *Dores Siculos*, quam apud *Athenienſes* ipſos, fuiſſe *Comœdiam*. Tres autem Pcëtas *Atticos* Comœdiæ *Inventores* recenſet *Ariſtoteles*, quos etiam *Epicharmo juniores* agnoſcit: *Chonnidem* & *Magnetem* Pcëtic. c. 3. & *Cratetem*, c. 5. Sic ergo, ni fallor, emendabimus ex *Ariſtotele Suidam*: Ἐν δὲ Ἀθήναις Κράτης καὶ Χωνίδης καὶ Μάγνης. Et aliam, fateor, *Comicorum*

Attico-

Diomed. Lib. III. Atticorum *triadem* agnoſcit *Diomedes*, & in his unum quem appellat *Mullum.* Sed *Mylum* aliquem veterem *Comœdum*, vel *Mullum*, fruſtra aliquis, ut exiſtimo, alibi quæſiverit. *Magnetem* autem habet ipſe *Suidas*, quem & *Epicharmo* proximum *ætate* facit. Nec *Suidas* modo, ſed ipſo quoque *Ariſtotele* Auctor antiquior, temporibuſque illis propior, *Ariſtophanes.* (Ariſtoph. Equit.) Sic ergo probabile eſt ſcripſiſſe (quicunque tandem is fuerit) Auctorem, uti diximus. Hæc tamen obiter. *Floruit* ergo illo, quem dixi, *anno*, ſummaque fuit *exiſtimatione*, non autem deceſſit, *Epicharmus.* Ad *Hieronis* jam *tyranni* tempora perveniſſe dicitur, ſub quo exulavit. Imo territum ab *Hierone Anaxilaum*, ut Bellum Locris inferret, *Epicharmo* ipſo teſte docet *Pindari* Scholiaſtes. (Ad *Pyth.* I. v. 99, 100.) *Finem* præterea *Hieronis* attigiſſe, Archontemque *Atticum Charetem*, quem nos *Olymp.* LXXVII. $\frac{1}{2}$. aſſignavimus, teſtem habemus (Epoch. 56.) Auctorem Chronici *Marmorei.* Nihil autem habet cur illo *Archonte* illum *deceſſiſſe* ſuſpicemur. Potius innuit *poſtea* fuiſſe ſuperſtitem. Convenit porro quòd par *Epicharmo* in *Comœdiæ* inventione *Phormis* ſub *Gelone* (Suid. Φορμ. *Pauſan.* Eliac. I.) floruerit atque *Hierone* teſtibus *Suidâ* & *Pauſaniâ.* Si quidem illo anno *defunctus* fuerit *Epicharmus*, *Natalem* oportet habuiſſe *Olymp.* $\frac{52}{33}$. $\frac{4}{1}$. anno *Varroniano* 186. ut annum egerit XIX^m. anno *Varr.* 205. *Olymp.* LVII. $\frac{3}{4}$. quo cecidit *Phalaris* pro hypotheſibus viri Eruditiſſimi. Hoc certè ætatis anno Encomiaſtes

non

non magni faciendus. Annum tantummodo XVIII. ei largitur Cl. *Bentleius.* Merito ergo conceſſit hanc *Epicharmi* ætatem cum *noſtro* calculo meliùs, quàm cum *ſuo*, convenire. Eſt enim certè cur *juniorem* illo anno *Epicharmum* ſuſpicemur. D. Bentl. p. 201. P. 90.

Quid ergo hic doctiſſimus *Bentleius ?* Alium fuiſſe ſuſpicatur à *Comico* Poëtâ, cujus mentio in his *Phalaridis* Epiſtolis occurrit, *Epicharmum.* Edat ergo, ſi poteſt, alium in *Siciliâ* celebrem his ipſis *Phalaridis* temporibus *Poëtæ* cognominem. Collegerunt certè *cognomines* primi *Grammatici.* Et quidem hoc ipſo collegerunt conſilio, ut vetuſtiſſimorum Auctorum *diſcordias* invicem conciliarent qui antea vixerint quàm ſatis *manifeſta* eſſet inter cognomines *diſtinctio.* Hinc illi *Laertio* in aliis Vitis tot *eodem nomine* Viri celebres, qui tamen *nulli* comparent in vitâ *Epicharmi.* Facile inde intelligimus nullum fuiſſe in *Siciliâ* celebrem *Epicharmum* qui primis illis Virorum Illuſtrium *cognominum* collectoribus innotuerit *Grammaticis.* Multa profectò extabant *Epicharmi* Scripta *Sophiſtæ*, quicunque demum fuerit, *ætate*, quem Epiſtolarum Auctorem credit Vir Eruditiſſimus. Potuit exinde haurire quæ *Epicharmo* tribuit. Nec ſane temerè tam *alienam* à *Philoſophis*, illius præſertim *Seculi*, ſententiam tanto *Philoſopho* tribuiſſe veriſimile eſt. Jam notas *anni*, quo periit *Tyrannus*, limitibus adhuc

27. *Phalaris* inter *Olympiad.* 69. 2. & *Olymp.* 70. 1. fortaſſis *interfectus.*

arctioribus concludamus. Vidimus è morte *Steſichori*, ante *Olymp.* LVI. 2$^{m\cdot}$ ne quidem *perire* Tyrannum *potuiſſe*, ut anno *ipſo* qui à Poëtæ *morte* fluxit XII° periiſſet, & I$^{m\cdot}$ *Olympiadis* XLII$^{a\cdot}$ annum habuiſſet Poëta *natalitium*. Fieri tamen potuit ut *Natalitiæ Olympiadis* anno 4° *ortum* habuerit Poëta. Sic fiet ut ad *Olymp.* LXVII. 1. pertigerit annus à Poëtæ *morte* XII$^{us\cdot}$ ante quem Tyrannus *perire* non potuerit. *Unam* ergo largiamur ſaltem *Olympiadem* quâ *Poëtæ* amicitiâ *Phalaris* frueretur, in ipsâ etiam *Tyrannide*. Ita *Tyrannidem* inierit *Olymp.* LXII. 2. vel *Olymp.* LXIII. 1. Addantur VII. *Olympiades*. Sic *Olymp.* LXIX. 2. vel *Olymp.* LXX. 1. fuerit interfectus. Nec multo poſtea ſuperſtitem fuiſſe ſuadent duo inter *Phalaridem Theronémque* ſucceſſores à Domino *Bentleio* rectè obſervati. Et ſane *multo* antiquiorem fuiſſe *Epicharmum* Poëtis *Atticis*, quos *Olympiad.* LXXIII. $\frac{2}{3}$. ἐπιδείξεις primas feciſſe probavimus, obſervavit *Ariſtoteles*. Ita ſcilicet ut ejuſdem Seculi *juvenes* cum *Epicharmo* tanquam *ſeniore* conferrentur. Sic enim de *Magnete Suidas*: Ἐπιβάλλει δὲ Ἐπιχάρμῳ νέος πρεσβύτῃ. Natus *Epicharmus* anno *Varr.* 186. *Olymp.* $\frac{52}{53}$. $\frac{4}{1}$. annum egerit *Olymp.* 73. $\frac{2}{3}$. qui *Varr.* erat 268. *vitæ* LXXXII$^{m\cdot}$

Poëtic. c. 3. *Adoleſcente* tum *Magnete*, πολλῷ πρότερος, inquit *Ariſtoteles*. Sic illa invicem, pro hoc *calculo*, conveniunt ut *magnus* error aliquis eſſe vix poſſit. Νεότητα illam *tricenario* minorem

norem fuiſſe veriſimile eſt. *Ætatem* illam attigerat *Epicharmus Olymp.* LX. $\frac{2}{3}$. antea quàm iniret *Phalaris*, *Olympiade* autem LXIX. 2. (cui antiquiſſimum *Phalaridis* exitum aſſignavimus) annum ad minimum LII^{m}. quæ ætas erat *Auctoritati* congrua quam in *Epicharmo* ſupponit *Phalaris*. Hæc ſi vera, *ſedecim* annos, quorum meminit *Euſebius*, non ab ortu *Urbis Agrigentinæ*, ſed ab eo tempore quo *Agrigentum appulit* ipſe *Phalaris*, numerandos exiſtimârim. Nec certe *breviori* ſpatio ſtatum Reipublicæ novare potuit homo *peregrinus*.

Optimè ergo ſe habebunt, ni fallor, omnia, ſi *Olymp.* $\frac{57}{58}$. $\frac{4}{1}$. *Phalaridem* in *Siciliam* appuliſſe ſtatuamus. Ita ſcilicet, ut inde *cœperit* annorum, (quos in *Siciliâ* ante Tyrannidem exegerit) *ſedecim primus*, quem, neſcio quo errore, *ultimum* ſupputârit *Euſebius*. *Vere* itaque venerit, *mari libero* & maritimæ Expeditioni idoneo, è patriâ *Aſtypalæâ*, anno proinde *Olympiadis* deſinente. Annus tum Urbis *Agrigentinæ* agebatur, pro noſtro calculo, XXXI^{us}. Spatium illud ſatis commodum erat, quo novæ coloniæ rebus jam florentibus, & famâ ubique fœcundiſſimâ, novi è *Græcia* coloni excirentur. Inde procedent anni XVI. quos rebus *ſenſim* novandis impenderit *Phalaris*, dum, *Tyrannide* adeptâ, amicorum libertatem tandem opprimeret. Sic *Olymp.* $\frac{61}{62}$. $\frac{4}{1}$. *Imperium* conſecutus fuerit.

28. *Agrigentum* Ol. $\frac{57}{58}$. $\frac{4}{1}$. *venit* Phalaris, Ol. $\frac{61}{62}$. $\frac{4}{1}$. *Tyrannidem* adeptus, Ol. $\frac{68}{63}$. $\frac{4}{1}$. *caſus*.

Hoc quoque ſpatium rebus tantis ab *extero* gerendis nec *laxum* nimis erit, nec *anguſtum.* Inde anni XXVIII. ad *Olymp.* $\frac{68}{73}$. $\frac{4}{1}$. procedent. Sic rectè illius temporibus conveniet exilium *Cliſthenis Olymp.* 67. $\frac{3}{4}$. à *Cleomene* pulſi, vel paulo poſtea. Sic item *mors Steſichori*, qui ante annum *Olymp.* 63. 2. decedere non potuit, ſi vel *primo* Olympiadis 42[æ] *anno natum* concedamus. Nec deerit ſpatium ſatis *laxum* quo *Tyrannus* Poëtâ illo *frueretur.* Imo *annus* ab illius Poëtæ morte XII[us] qui *Olymp.* 62. 2. *antiquior* eſſe non potuit. Conveniet annus *uterque* ſatis commodè *quocunque* demum Olympiadis 42[æ] *anno* natalis *Steſichori* ſtatuatur. *Ætatemque* habuerit ſub eo *Epicharmus* eam, quæ par eſſe potuit *venerationi* quâ illum ſuſpexit *Tyrannus*, utroque nomine, tam *Poëſis*, quàm etiam *Philoſophiæ.* Firmat denique eundem calculum ætas *Pythagoræ.* Hunc enim *Olymp.* 68. $\frac{1}{2}$. *Crotone* abfuiſſe probavimus. Nempe, ut videtur, *Scholis* intentus per *Italiam* & *Siciliam* colligendis, & *Diſcipulorum* inſtitutioni vacans, quorum è numero erat *Epicharmus.* Etiam *tyrannis* in ordinem utrobique *redigendis*, ut teſtantur *Porphyrius* & *Jamblichus*, quibus accenſebatur ipſe *Phalaris.* Hoc etiam *anno*, cui nos *Phalaridis initium* aſſignamus, cœpit *Cleander* ſecundus ante *Gelonem* Gelæ *tyrannus.* Nihil itaque vetat quo minùs *eodem anno* etiam *Agrigenti* cœperit *proximus* poſt *Phalaridem Alcamenos*, etiam *ſecundus* ipſe

ante

ante *Theronem* Geloni *parem.* Non obſtat certè deceſſorum *numerus* ante Theronem *binarius.* Sed verò Argumentum à *Philoſophi Chronologiâ* III[a] noſtrâ de Cyclis Diſſertatione propoſuimus. Eandem *Chronologiam* rurſus ex profeſſo expendemus. Nec tamen aliter, quàm quà ſalvâ *veritate* licebit, adversùs Argumenta D. *Bentleij* contraria tuebimur.

SYNOPSIS CHRONOLOGICA Temporum *in hac Diſſertatione deſignatorum.*

PERIOD. *Jul.* 3982. *Varron.* 22. *Olymp.* Annal lib.
$\frac{11}{12}$. $\frac{4}{1}$. *Syracuſæ* conditæ ab *Archiâ*, §. 3. *Thucyd.*
Eodem fere tempore quo *Croton* à *Myſcelo.* Simul enim ab utroque de *coloniâ* ſuâ conſultus eſt *Pythius.* Adjuvit tamen *Myſcelum Archias*, teſte *Strabone*, unde priorem *Ar-* Strab. Lib.
chiam fuiſſe intelligimus. *Crotonæ* ortum VI. p.262.
Olymp. 18. 4. vel *Olymp.* 19. 1. ſtatuit *Euſebius Scaligeranus.* Sed *Olymp.* 17. 3. aſſignat Auctor *Euſebio* longe accuratior *Dionyſius Halicarnaſſæus*, L. II. p. 121. Ex utroque intelligimus, quo *recentior* ſtatuitur Epocha Urbis *Syracuſanæ*, eo etiam eſſe *veriſimiliorem.*

Period. *Jul.* 3987. *Varron.* 27. *Olymp.* 13. $\frac{1}{2}$. *Megara Hyblæa* condita, V[o.] anno à *Syracuſis*, §. 3. Annal. *Thucyd.*

Period. *Jul.* 4027. *Varron.* 67. *Olymp.* 23. $\frac{1}{2}$. *Gela* condita, XLV°. anno à *Syracuſis*, §. 4. Annal. *Thucydid.* Tum venit in *Siciliam Telemachus*, §. 9, 14, 15. Ut proinde partem in *Phalaridis* cæde *Telemachus* habere ne quidem potuerit, ut cenſuit vetus *Pindari* Scholiaſtes.

Olymp. 37.

Natalis *Steſichori* ſecundùm *Suidam*, §. 21. Non tamen addit *quotus* is fuerit *Olympiadis* annus.

Period. *Jul.* 4103. *Varr.* 143. *Olymp.* 42. $\frac{1}{2}$. Natalis *Steſichori*, ut videtur, ex *Euſebio*, §. 21. *Arione* nempe junioris, qui ſub *Periandro* vixit *Corinthio*, inter *Olymp.* 38.4. & *Olymp.* 48. 4. §. 24. Ita, ſi *Heſiodi* filius, §. 26.

Period. *Jul.* 4117. *Varr.* 157. *Olymp.* 45. $\frac{1}{4}$. condita *Camarina* ἔτεσιν ἐγγύτατα πέντε καὶ τεσσαράκοντα καὶ ἑκατὸν poſt ortum Syracuſarum. *Thucyd.* VI. 5. Κτίζεται ἡ Καμαρίνα τεσσαρακοστῇ πέμπτῃ Ὀλυμπιάδι. Schol. *Pindar.* Olymp. V. v. 16. Hinc etiam firmatur Epocha noſtra Urbis *Syracuſanæ*, §. 6. Annal. *Thucyd.*

Period. *Jul.* 4135. *Varr.* 175. *Olymp.* 50. $\frac{1}{3}$. Urbs *Agrigentina* condita CVIII^o. poſt *Gelam*, §. 4. Annal. *Thucyd.* Hoc anno certum eſt *antiquiorem* eſſe ne quidem *potuiſſe* tyrannidem *Phalaridis*. Verba Scholiaſtæ in *Pindarum* junioris hæc ſunt de *Agrigento*: Ἐν γὰρ τῇ πεντηκοστῇ Ὀλυμπιάδι ἐκτίσθη. ad *Olymp.* II. Hujus coloniæ tempore, mortuis jam *Tele-*

macho

macho & *Chalciopeo*, familiæ *Theronis* præfuiſſe videtur *Emmenes* à quo nomen φαλεϱιᾶ *Agrigentinæ*, §. 14.

Period. *Jul.* 4146. *Varr.* 186. *Olymp.* $\frac{52}{53}$. $\frac{4}{1}$. *Natalis* forte *Epicharmi*. Sed, pro noſtrâ ſententiâ, recentior, §. 26. Sic annum egerit *ætatis* LXIV^um^ ultimo *Phalaridis*, par *venerationi* quam illi detulit tyrannus.

Period. *Jul.* 4151. *Varr.* 191. *Olymp.* 54. $\frac{1}{1}$. *Initium Phalaridis* anno Urbis *Agrigentinæ* XVI. fortaſſe pro ſententiâ *Euſebij*, §. 19.

Period. *Jul.* 4157. *Varr.* 197. *Olymp.* 55. $\frac{3}{4}$. natus *Simonides* Poëta *Steſichoro* ætate minor, §. 21.

Period. *Jul.* 4166. *Varr.* 206. *Olymp.* $\frac{57}{58}$. $\frac{4}{1}$. *Agrigentum* venit *Phalaris* anno *coloniæ* 31° §. 28. Pro *noſtrâ* ſententiâ. Pro *Euſebiani* Auctoris ſententiâ. *Finis* annorum XXVIII. quibus tyrannidem tenuerit *Phalaris*, initio ducto ab ipſo *Agrigentinæ* Urbis *initio*, §. 17.

Period. *Jul.* 4179. *Varr.* 219. *Olymp.* 61. $\frac{1}{2}$. *Finis Phalaridis*, pro ſententiâ *Euſebij*, §. 19. Ita quidem, ſi par *Cræſo* & *Cyro* fuerit *Phalaris*.

Period. *Jul.* 4182. *Varr.* 222. *Olymp.* $\frac{61}{62}$. $\frac{4}{1}$. *Initium* tyrannidis à *Phalaride* occupatæ anno, poſtquam *Agrigentum* appulerat, XVI°. Sic enim intelligo verba *Hieronymi* in *Chronico* Euſebiano: *tyrannidem exercuit*. Græca apud *hodiernum* aliquem, qui *Euſebium* excerpſerit, Auctorem non reperit *Scaliger*. Puto fuiſſe

τυραννίδα ἐμελέτα. Quod ſcilicet, *ſtudium* omne per hos annos ad *tyrannidem* occupandam converterit. Hoc enim erat *Græcè μελετᾷν.* Hoc ergo demum *anno* votis (pro noſtrâ ſententiâ) potitus eſt, §. 28.

Period. *Jul.* 4188. *Varr.* 228. *Olymp.* 63. $\frac{1}{3}$. Mors *Steſichori* Poëtæ, anno *vitæ Steſichori* LXXXV. Si nempe *natus* fuerit *Olymp.* 42. $\frac{1}{2}$. §. 21, 25. Hoc certè *anno*, vel *trium* ſequentium aliquo, ſi quidem *Olympiadis* 42ᵃᵉ annum aliquem habuerit *Natalitium.* Si hoc anno, proinde anno *Phalaridis* Tyranni VIº. Ut ſatis commodè primis hiſce *Tyrannidis* annis Poëtæ *amicitiâ* uti potuerit.

Period *Jul.* 4200. *Varr.* 240. *Olymp.* 66. $\frac{2}{3}$. XIIᵘˢ à morte *Steſichori* annus, qui in annum *Phalaridis* conveniebat XVIIIᵐ vel ſaltem XXIᵐ ſi vel *ultimo* Olympiadis 42ᵃᵉ *anno natus* fuerit *Steſichorus*, §. 28. Ante hunc annum perire tyrannus non potuit, §. 27.

Period. *Jul.* 4205. *Varr.* 245. *Olymp.* 67. $\frac{3}{4}$. *Archon* & *Legiſlator* Athenienſium *Cliſthenes.* §. 28. Diſſ. V. de *Cycl.* §. 10. Anno ſcilicet *Phalaridis* XXIIIº. Paulo poſtea *exulavit*, quem ſolatur in Epiſtolis *Tyrannus.*

Period. *Jul,* 4207. *Varr.* 247. *Olymp.* 68. $\frac{1}{2}$. *Phalaridis* XXV. Aberat *Crotone Pythagoras Philoſophus.* Tum cœperat *peregrinatio* illius per *Urbes Italiæ* & *Siciliæ* quæ operâ illius *libertatem* aſſequebantur, pulſis nempe *tyrannis.* His *Urbibus* accenſetur *Agrigentum.* His

His item *tyrannis Phalaris.* Diſſ. deætat. *Pythagor.* Proinde poſt hunc annum cædem *Phalaridis* contigiſſe oportet.

Period. *Jul.* 4210. *Varr.* 250. *Olymp.* $\frac{68}{69}$. $\frac{4}{1}$. *Phalaridis* XXVIII$^{us.}$ idemque ultimus, *Pythagoræ* VI$^{us.}$ in *Italiâ.* Cædes *Phalaridis*, pro ſententiâ noſtrâ, auctore *Pythagorâ*, §. 16, 28. Eodem hoc anno *Gelæ* tyrannidem inivit *Cleander*, §. 6. Secundus nimirum *Gelæ* deceſſor ante *Gelonem*, cui par erat in Urbe *Agrigentinâ Theron*, totidemque habuit medios inter ſe & *Phalaridem* deceſſores. *Phalaride* tamen *Agrigentino* junior fuiſſe videtur *Cleander* ille *Gelous*, §. 7.

Period. *Jul.* 4217. *Varr.* 257. *Olymp.* 70.$\frac{3}{4}$. *Gelæ* tyrannus *Hippocrates* poſt VII. *Cleandri* annos, ipſe etiam rerum *ſeptennio* potitus, §. 6. Colonia *Amphipolim* deducta annis ante *Olymp.* $\frac{85}{86}$. $\frac{4}{1}$. LXI. §. 6.

Period. *Jul.* 4221. *Varr.* 261, *Olymp.* 71.$\frac{3}{4}$. Initium *Anaxilai Rhegini*, §. 6.

Period. *Jul.* 4222. *Varr.* 262. *Olymp.* $\frac{71}{72}$. $\frac{4}{1}$. *Samij* exules *Zanclam* occupant proditam ab *Hippocrate Geloo*, anno *tyrannidis*, pro noſtro calculo, V$^{o.}$ Moniti etiam ab *Anaxilao*, anno *tyrannidis* II$^{o.}$ Poſt defectionem *Ariſtagoræ Mileſij* VI$^{o.}$ poſt *coloniam* ab eo *Novemvias* deductam V$^{o.}$ §. 6. Poſtea, οὐ πολλῷ ὕστερον *Samij* hi atque *Mileſij* à *Meſſeniis* pulſi, operâ ejuſdem *Anaxilai. Thucyd.* VI. Proinde ante finem *Anaxilai*, de quo infrà. Malè autem, ut opinor, ad *Meſſanenſes Siculos* verba *Phalaridis*

laridis Epiſt. XXI, LXXXIV, LXXXV. retulit D. *Bentleius*, quæ erant potiùs ad *Meſſenios Peloponneſios* referenda. Illorum civem *Polyclitum* Medicum fuiſſe veriſimillimum eſt. Nondum *libertate* penitùs *imminuta*, quod *ſecundo* demum, quo dux erat *Tyrtæus* Poëta, Bello factum. Nondum ſaltem *Peloponneſo* exulantium, quod *tertio* tandem ultimoque Bello contigit. *Medium* ſpatium inter ſecundum tertiumque Bellum cum *Phalaridis* ætate à nobis deſignatâ optimè conveniet. Nuſpiam certè cum *Zanclæis* ſuis commune quippiam *Meſſenios* habere ſupponit *Phalaris*, cum tamen Urbi novum à ſe *nomen* dederint, & *partem* illius *præcipuàm* fecerint poſtea, cum in unum cum *Zanclæis* corpus coaluiſſent. Nec ullam partem in *Siculorum* contra ſe factionibus *Meſſeniis* unquam aſſignat *Phalaris*. Habituris profectò ſi eandem cum *Zanclæis* urbem incoluiſſent. *Animum* enim *Phalaridi* infenſum ſatis produnt quæ de illis habet ipſe Tyrannus. Nec alienum eſt à Tyranni *more* ut ad *exteras* quoque ſcribat *civitates* quoties de *civibus* agitur *adventitiis*. Ita nimirum ad ſuos *ipſe* ſcribit *Aſtypalæenſes*. Ita in causâ *Perilai* ad cives *Perilai Athenienſes*. Non itaque incommodè ad *Peloponneſi Meſſenios* de causâ *Polycleti* qui fuerit ipſe patriâ *Meſſenius*. Et *Siculi* pariter *tyranni Dionyſij* dona diripuerunt poſtea *Peloponneſij*.

Period.

Period. *Jul.* 4224. *Varr.* 264. *Olymp.* 72. $\frac{2}{3}$. *Tyrannidem Gelæ* invit *Gelo*, §. 3, 6.

Period. *Jul.* 4227. *Varr.* 267. *Olymp.* 73. $\frac{1}{2}$. Initium *Theronis* tyranni *Agrigentini*, qui erat ipſe *tertius*, ut videtur, à *Phalaride*, §. 5.

Period. *Jul*: 4228. *Varr.* 268. *Olymp.* 73. $\frac{2}{3}$. Hoc anno, nempe VI°· ante *Perſica*, docuit *Syracuſis Epicharmus* cum primas Artis *Comicæ* ἐπιδείξεις facerent Comœdi *Attici*. Proinde illis aliquanto ſenior *Epicharmus*, §. 26, 27. qui par erat *Phalaridi*. Tum annum egit *Epicharmus* fere LXXXII^m· §. 27.

Period. *Jul.* 4230. *Varr.* 270. *Olymp.* $\frac{73}{74}$. $\frac{4}{1}$. Initium *Gelonis* in tyrannide *Syracuſanâ*, §. 3, 6. Hoc anno tranſlati à *Gelone* in *Syracuſas Camarinæi*, §. 6. Annal. *Thucyd.*

Period. *Jul.* 4232. *Varr.* 272. *Olymp.* 74. $\frac{2}{3}$. *Megarenſes Hyblæi* à *Gelone Syracuſas* tranſlati poſt annos 245. à jactis coloniæ fundamentis, §. 3. Anno proinde tyrannidis *Syracuſanæ* II°· §. 3, 20.

Period. *Jul.* 4237. *Varr.* 277. *Olymp.* 75. $\frac{3}{4}$. Mors *Gelonis* anno tyrannidis *Syracuſanæ* VII°. §. 6.

Period. *Jul.* 4239. *Varr.* 279. *Olymp.* 76. $\frac{1}{2}$. Mors *Anaxilai* tyranni *Rhegini*, §. 6.

De

De ÆTATE PYTHAGORÆ Philoſophi.

EXERCITATIO SECUNDA.

I. *Rationes de Ætate Pythagoræ Philoſophi noſtræ.* PYTHAGORÆ Philoſophi *Ætatem* Diſſertatione de *Cyclis* III. §. 12. aſtruximus. Illas itaque, quas ibi tradidimus, rationes uno nunc intuitu Lectori ob oculos ponemus. Sic enim fiet ut optimè judicare liceat recténe, an ſecus, Viri Maximi illas oppugnaverint. Ponemus autem paulo, quàm ibi fecimus, accuratiús. Facient enim ut meliùs intelligat Lector tam quæ in *contrarium* opponuntur *Argumenta*, quàm etiam viciſſim quæ nos *Reſponſuri* ſumus. Sic ergo ſeſe habent;

Period,

Period. Julian.	U.C. *Varron.*	Ante *Chriſt.*	*Olympiad.*	*Pythag.* an. def.	*Nabonaſ.*	*Nabocollaſari.*	*Apis Ægypt.*	*Aliatti Lyd.*	*Aſtyagis Medor.*
4145	185	569	$52.\frac{3}{4}$	Natus.	179 *Jan.* 13	36	25	50	26
4146	186	568	$\frac{52}{53}.\frac{4}{1}$	1	180 *Jan.* 12	37	*Anaſidis* 1	51	27
4147	187	567	$53.\frac{1}{2}$	2	181	38	2	52	28
4148	188	566	$\frac{2}{3}$	3	182	39	3	53	29
4149	189	565	$\frac{3}{4}$	4	183	40	4	54	30
4150	190	564	$\frac{53}{54}.\frac{4}{1}$	5	184 *Jan.* 11	41	5	55	31
4151	191	563	$\frac{1}{2}$	6	185	42	6	56	32
4152	192	562	$\frac{2}{3}$	7	186	43	7	57	33
4153	193	561	$\frac{3}{4}$	8	187	*Evarod.* 1	8	*Craſi* 1	34
4154	194	560	$\frac{54}{55}.\frac{4}{1}$	9	188 *Jan.* 10	2	9	2	35
4155	195	559	$\frac{1}{2}$	10	189	*Nericaſ.* 1	10	3	*Cyri* 1
4156	196	558	$\frac{2}{3}$	11	190	2	11	4	2
4157	197	557	$\frac{3}{4}$	12	191	3	12	5	3
4158	198	556	$\frac{55}{56}.\frac{4}{1}$	13	192 *Jan.* 9	4	13	6	4
4159	199	555	$\frac{1}{2}$	14	193	*Nabonad.* 1	14	7	5
4160	200	554	$\frac{2}{3}$	15	194	2	15	8	6
4161	201	553	$\frac{3}{4}$	16	195	3	16	9	7
4162	202	552	$\frac{56}{57}.\frac{4}{1}$	17	196 *Jan.* 8	4	17	10	8
4163	203	551	$\frac{1}{2}$	18	197	5	18	11	9
4164	204	550	$\frac{2}{3}$	19	198	6	19	12	10
4165	205	549	$\frac{3}{4}$	20	199	7	20	13	11
4666	206	548	$\frac{57}{58}.\frac{4}{1}$	21	200 *Jan.* 7	8	21	14	12
4167	207	547	$\frac{1}{2}$	22	201	9	22		13
4168	208	546	$\frac{2}{3}$	23	202	10	23		14
4169	209	545	$\frac{3}{4}$	24	203	11	24		15
4170	210	544	$\frac{58}{59}.\frac{4}{1}$	25	204 *Jan.* 6	12	25		16
4171	211	543	$\frac{1}{2}$	26	205	13	26		17
4172	212	542	$\frac{2}{3}$	27	206	14	27		18
4173	213	541	$\frac{3}{4}$	28	207	15	28		19
4174	214	540	$\frac{59}{60}.\frac{4}{1}$	29	208 *Jan.* 5	16	29		20
4175	215	539	$\frac{1}{2}$	30	209	17	30		21
4176	216	538	$\frac{7}{3}$	31	210	*Cyri in Babyl.* 1	31		22
4177	217	537	$\frac{3}{4}$	32	211	2	32		23
4178	218	536	$\frac{60}{61}.\frac{4}{1}$	33	212 *Jan.* 4	3	33		24
4179	219	535	$\frac{1}{2}$	34	213	4	34		25

Period. Julian.	U.C. Varron.	Ante Chriſt.	Olympiad.	Pythag. an. def.	Nabonaſ.	Cyri in Babyl.	Amaſid. Æg.			Cyri in Medos.
4180	220	534	$\frac{2}{4}$	35	214	5	35			26
4181	221	533	$\frac{3}{4}$	36	215	6	36			27
4182	222	532	$\frac{61}{62}$. $\frac{4}{1}$	37	216 Jan. 3	7	37			28
4183	223	531	$\frac{1}{2}$	38	217	8	38			29
4184	224	530	$\frac{2}{3}$	39	218	9	39			30
4185	225	529	$\frac{3}{4}$	40	219		40			Cambyſis. 1
4186	226	528	$\frac{62}{63}$. $\frac{4}{1}$	41	220 Jan. 2		41			2
4187	227	527	$\frac{1}{2}$	42	221		42			3
4188	228	526	$\frac{2}{3}$	43	222		43			4
4189	229	525	$\frac{3}{4}$	44	223		44			5
4190	230	524	$\frac{63}{64}$. $\frac{4}{1}$	45	224 Jan. 1					6
4191	231	523	$\frac{1}{2}$	46	225					7
4192	232	522	$\frac{2}{3}$	47	226					cum Magis 8
4193	233	521	$\frac{3}{4}$	48	$\frac{227}{228}$ Dec. 31					Darij Hyſtaſp. 1
4194	234	520	$\frac{64}{65}$. $\frac{4}{1}$	49	229					2
4195	235	519	$\frac{1}{2}$	50	230					3
4196	236	518	$\frac{2}{3}$	51	231					4
4197	237	517	$\frac{3}{4}$	52	232 Dec. 30					5
4198	238	516	$\frac{65}{66}$. $\frac{4}{1}$	53	233					6
4199	239	515	$\frac{1}{2}$	54	234					7
4200	240	514	$\frac{2}{3}$	55	235					8
4201	241	513	$\frac{3}{4}$	56	236 Dec. 29					9
4202	242	512	$\frac{66}{67}$. $\frac{4}{1}$	57	237					10
4203	243	511	$\frac{1}{2}$	58	238					11
4204	244	510	$\frac{2}{3}$	59	239					12
4205	245	509	$\frac{3}{4}$	60	240 Dec. 28					13
4206	246	508	$\frac{67}{68}$. $\frac{4}{1}$	61	241					14
4207	247	507	$\frac{1}{2}$	62	242					15
4208	248	506	$\frac{2}{3}$	63	243					16
4209	249	505	$\frac{3}{4}$	64	244 Dec. 27					17
4210	250	504	$\frac{68}{69}$. $\frac{4}{1}$	65	245					18
4211	251	503	$\frac{1}{2}$	66	246					19
4212	252	502	$\frac{2}{3}$	67	247					20
4213	253	501	$\frac{3}{4}$	68	248 Dec. 26					21
4214	254	500	$\frac{69}{70}$. $\frac{4}{1}$	69	249					22

Period. Julian.	U.C. Varron.	Ante Christ.	Olympiad.	Pythag. an. def.	Nabonaſ.				Cambyſes.
4215	255	499	1/2	70	250				23
4216	256	498	2/3	71	251				24
4217	257	497	3/4	72	252 Dec. 25				25
4218	258	496	70/71. 4/1	73	253				26
4219	259	495	1/2	74	254				27
4220	260	494	2/3	75	255				28
4221	261	493	3/4	76	256 Dec. 24				29
4222	262	492	71/72. 4/1	77	257				30
4223	263	491	1/2	78	258				31
4224	264	490	2/3	79	259				32
4225	265	489	3/4	80	260 Dec. 23				33
4226	266	488	72/73. 4/1	81	261				34
4227	267	487	1/2	82	262				35
4228	268	486	2/3	83	263				36
4229	269	485	3/4	84	264 Dec. 22				Xerxis. 1
4230	270	484	73/74. 4/1	85	265				2
4231	271	483	1/2	86	266				3
4232	272	482	2/3	87	267				4
4233	273	481	3/4	88	268 Dec. 21				5
4234	274	480	74/75. 4/1	89	269				6
4235	275	479	1/2	90	270				7
4236	276	478	2/3	91	271				8
4237	277	477	3/4	92	272 Dec. 20				9
4238	278	476	75/76. 4/1	93	273				10
4239	279	475	1/2	94	274				11
4240	280	474	2/3	95	275				12
4241	281	473	3/4	96	276 Dec. 19				13
4242	282	472	76/77. 4/1	97	277				14
4243	283	471	1/2	98	278				15
4244	284	470	2/3	99	279				16
4244	285	469	3/4	100	280 Dec. 18				17
4246	286	468	77/78. 4/1	101	281				18
4247	287	467	1/2	102	282				19
4248	288	466	2/3	103	283				20
4249	289	465	3/4	104	284 Dec. 17				21

4250

Period. Julian.	U.C. Varron.	Ante Chriſt.	Olympiad.	Pythag. an. def.	Nabonaſ.			Artax. Longim.
4250	290	464	$\frac{78}{79}\cdot\frac{4}{1}$	105	285			1
4251	291	463	$\frac{1}{2}$	106	286			2
4252	292	462	$\frac{2}{3}$	107	287			3
4253	293	461	$\frac{3}{4}$	108	288 Dec. 16			4
4254	294	460	$\frac{79}{80}\cdot\frac{4}{1}$	109	289			5
5255	295	459	$\frac{1}{2}$	110	290			6
5256	296	458	$\frac{2}{3}$	111	291			7
4257	297	457	$\frac{3}{4}$	112	292 Dec. 15			8
4258	298	456	$\frac{80}{81}\cdot\frac{4}{1}$	113	293			9
4259	299	455	$\frac{1}{2}$	114	294			10
4260	300	454	$\frac{2}{3}$	115	295			11
4261	301	453	$\frac{3}{4}$	116	296 Dec. 14			12
4262	302	452	$\frac{81}{82}\cdot\frac{4}{1}$	117	297			13

2. *Rationes de eâdem Pythagoræ ætate Adverſariorum.*

Dedimus hic Chronologiam *Pythagoræ* auctiſſimam, ut ita conſtare poſſit quid ſit de eâ ſentiendum, pro ſingularum *ſententiarum*, de *vitâ* illius ſeu *breviori*, ſeu *productiori*, variis hypotheſibus. Nemo enim eſt (quod quidem ſciam) qui illum ultra annum CXVII$^{m\cdot}$ vitam produxiſſe cenſuerit. Nos hic *Natalem* uno anno *ſeriorem* quàm in prædictâ Diſſertatione poſuimus, de quo infrà plura. Antiquior placet amico ſummo Cl. *Lloydio* Epiſcopo olim *Aſaphenſi* & eruditiſſimo *Bentleio*. *Natum* illi cenſent *Olymp.* XLIII. $\frac{3}{4}$. ut annum *ætatis* XVIII$^{m\cdot}$ *Olymp.* XLVIII. inchoârit, quæ illum *ætas* excluſerit à Pugilatu *Puerorum*. *Pugilem* enim *Pythagoram* eundem exiſtimant cum *Philoſopho*. Diſcrepamus ergo ſpatio integro novem *Olym-*

Olympiadum, annorumque proinde XXXVI. De quo ſpatio ambigitur, *antiquioremne* juſto *Pythagoram* fecerint celeberrimi Adverſarij, an nos potiùs juſto *ſeriorem.* Noſtras ergo diſſentiendi rationes quâ par eſt nominum tantorum obſervantiâ proponemus; nec aliter quam quâ ſalvâ *veritate* licebit, tuebimur atque vindicabimus. Sic enim *Chriſtiani* hominis *officiis,* & *bono* Reipubl. literariæ *publico,* optimè conſulturos arbitramur.

3. Meminerit ergo Lector in eâ nos *Chronologiâ* verſari quam admodum *incertam* eſſe probant frequentiſſimæ Veterum *diſcordiæ,* ut jam diu obſervavit *Plutarchus. Primis* enim *Græcorum Hiſtoricis* coævus erat ipſe *Pythagoras,* qui non è deceſſorum *Libris,* ſed *Traditionibus,* ſua hauſerint. *Obiter* autem, nec datâ operâ, *vitam* illius attigerunt coævi *Hiſtorici,* dum res illius *geſtæ* celebriorem indies famam tam utilis *Philoſophiæ* cogitaſſent. Scriptores autem primos *Ariſtoxenum, Hermippum, Dicæarchum* legimus ſeriores *Ariſtotele* ejuſque *Bibliothecâ* (quæ *prima* fuiſſe legitur, poſt *Piſiſtratum,* inſignis hominis *privati* Bibliotheca) & *Bibliothecis* coævos *publicis* tam *Alexandrinæ* quàm etiam *Pergamenæ.* Poëtas enim tantummodo complectebatur *Bibliotheca Piſiſtrati* & *Hipparchi,* nondum *Philoſophos,* nedum *ſolutæ* orationis *Hiſtoricos.* Nondum ergo ſuppetebant *vitæ* hujus *Philoſophi* colligendæ neceſſaria *monu-*

Primis Græcorum *Hiſtoricis* par erat ætate *Pythagoras.* Primi autem *vitæ* illius Scriptores *Ariſtotele* juniores. Proinde *fabulis* immixtam *Hiſtoriam* complexi, quæ cautè invicem *internoſcendæ.*

menta, cum nullæ eſſent *Hiſtoricorum* ad manum congeries quâ alij poſſent ex aliis ſuppleri, nedum regionum variarum tamque invicem diſſitarum in quibus Doctrinæ ſuæ egregia ſpecimina ediderat nobiliſſimus ille Philoſophus. *Conferendi* erant gentium illarum omnium *Hiſtorici* in quibus ſuerat peregrinatus, quorumque inventa ſuis ipſe novis inventis locupletaverat, *Babyloniorum, Chaldæorum, Indorum, Phœnicum, Ægyptiorum*, ſi minùs *Ebræorum*, qui tamen ante *Alexandri* Magni Expeditionem occurrebant in *Græciâ* rariſſimi. Tum præterea *Græcorum* ipſorum conſulendi erant *Hiſtorici*, imo *Græcarum* omnium in *Siciliâ*, & *Italia* & in ipsâ *Aſiâ* inſuliſque *coloniarum* in quibus vitæ partem aliquam exegerat *Pythagoras*, quibus ne quidem *aditus* patebat ſine novis *peregrinationibus*. Contendi autem invicem non poterant à ſtudioſis *Pythagoræ* diſcipulis, cum *ſeorſim* proſtarent in ſingulis Hiſtorici cujuſque *patriis Archivis*. Vel inde intelligimus *integram* hujus Philoſophi *Hiſtoriam* ante primam Scholæ *Peripateticæ* inſtitutionem ne quidem *colligi* potuiſſe, nec ante annum adeo à *Pythagoræ* morte *centeſimum* & quod præterea excurrebat, pro illâ etiam de illius *morte* ſententiâ quæ illum fecerit *longæviſſimum*. Idemque verum oſtendunt antiquiſſima in *Poëtas* vetuſtiſſimos *Scholia*. Quid ſenſerint *Poëtæ* ipſi nunquam colligunt è *coævis* Poëtæ Auctoribus qui mentem *Poëtæ* è Poëta *ipſo* didi-

didicerint, ut mentem *Virgilij* in *Bucolicâ* III^a. ex *Aſinio Gallo* docet *Servius*. Suis ergo *ratiociniis* è collatis invicem interpretantur *Hiſtoricis*, quibus *Poëtarum* ſententiâ non fuerit explorata. Inde *tot* illæ, tamque invicem *diſcordes*, de ſui cujuſque Auctoris mente, pro Scriptoris *Scholiaſtæ* captu, ſententiæ. Inde duplex ſequitur in rebus *Pythagoræ* tradendis incommodum: alterum *primariorum* coævorumque ipſi *Pythagoræ* Auctorum, *recentiorum* alterum remotiorumque ab ipſius Philoſophi memoriâ. Primos omnes ante *Thucydidem* Hiſtoricos rebus reverâ geſtis fabulis immiſcuiſſe docet ipſe *Thucydides*, & nos alibi probavimus. Hic ergo *fabulæ Hiſtoriæque* cautè invicem internoſcendæ ſunt ut nec *Hiſtoriæ* ipſæ propter *fabulas* in ſuſpicionem veniant, nec pro *Hiſtoriæ veræ* normis *fabulæ* ipſæ habeantur. Exempla certè habemus manifeſtiſſima in *Abaride* Apollinis Hyperborei ſacerdote & *Ariſteâ Proconneſio* Arimaſporum Auctore, quorum uterque *Philoſopho* noſtro coævus fuiſſe creditur. *Hiſtoria* tamen utriuſque *fabulas* complectitur quas nemo prudens fabulas fuiſſe dubitaverit. Ideone propter *fabulas* admixtas *Hiſtorias* ipſas rejiciemus? Aut, pro *Hiſtoriarum* normis *fabulas* habebimus? Si hoc minùs liceat in *Abaride* & *Ariſteâ*, cur potiùs, quæſo, licebit in *Pythagorâ*? Quin potius operam dabimus ut illas invicem accuratiſſimè ſecernamus, cum illæ etiam *Hiſtoriæ* ab Auctoribus prodierint *coævis* quibus fuerint

Appar. ad Ann. *Thucyd.* n. 4. & Diſſ. de *Cycl.* §. 2.

exploratæ: nec à *fabulis* Argumenta deducemus, ſed à *verè* geſtis duntaxat *Hiſtoriis*. Similiter in *juniorum* Commentationibus *ratiocinia* à *factis* internoſcenda erunt; quid nempe didicerint è *Veterum* ſcriptis *Hiſtoriis*, quid ipſi viciſſim *ratiociniis* ſuis collegerint è ſcriptis Hiſtoriis, rectène, an ſecùs, intellectis. Hæc enim ubi *pugnant* invicem, non eſt cur dubitemus quia *diſertæ* Veterum *Hiſtoriæ ratiociniis* anteferendæ ſint, quacunque demum veriſimilitudinis ſpecie *ratiocinia* ipſa ex *aliis* colligantur *Hiſtoriis*. Hæc ſi obſerventur accuratè, ſic optimè conſulemus Auctorum *diſcordiis* quæ occurrunt in *hoc* Hiſtoriæ *intervallo* ſane frequentiſſimæ. Eſt enim illa demum Hypotheſis omnium veriſimillima quæ efficere poſſit ut nullæ invicem *pugnent Hiſtoriæ*, utcunque *pugnet* cum *fabulis* majorùm juniorumque *ratiociniis*.

4. *Noſtras* rationes *veriores* probat ætas *Pherecydis* qui Pythagoræ *Præceptor* erat. Malè hic *Pherecydem Lerium* Hiſtoricum cum *Pherecyde Syrio* Philoſopho confundit Cl. *Bentleius*.

Videamus ergo, utræ magis cum *Hiſtoriâ* conſentiant, noſtræne, an potiùs Adverſariorum, de *Pythagorâ*, rationes. *Noſtris*, quæ *ſeriores* ſunt, favet ætas *Pherecydis* quem *Pythagoræ* Præceptorem omnes agnoſcunt. Hujus Natalem *Suidas Olympiadi* tribuit XLV^æ^. Ita VII. fere *Olympiadibus Pythagorâ major* fuerit pro calculo noſtro ſane commodiſſimè. Adverſarios ſi audiamus, *minor* fuerit *Pythagorâ* Diſcipulo duabus, aut circiter, *Olympiadibus*. Et tamen *Pythagoram Mneſarchus* pater à primis, ut aiunt, unguiculis, omni diſciplinarum genere, & à ſummis

ſummis cujuſque diſciplinæ *Magiſtris* curavit imbuendum. Ita natalem *Pherecydis* poſt natalem *Pythagoræ* in *Synopſi* ſuâ *Chronologicâ* poſuit Amicus *Wigornienſis*. Nec tamen obſervavit quàm id ceciderit, pro ſuis hypotheſibus, incommodé. Obſervavit quidem Cl. *Bentleius*, & novo quodam artificio occurrendum exiſtimavit. Ait nimirum *Olympiade* LIX. ſatis conceſſiſſe *Pherecydem*. Idem obſervat è *Luciani Macrobiis*, annum egiſſe cum moreretur, LXXXV^m^. Hi anni ab anno *Olympiadis* LIX. 1° retrorſum ſupputati ad annum pertingunt *Olympiadis* XXXVII. 4. Sic annum egiſſet, pro rationibus Adverſariorum, *Pherecydes* XXV. cum naſceretur *Pythagoras*, ambobus nempe terminis incluſis. Malè autem *Pherecydas* duos invicem confudit Cl. *Bentleius*, *Hiſtoricum* ſcilicet *Pherecydem Leriæ* cum *Pherecyde Syrio Pythagoræ* Magiſtro. Malè quidem Σύριον appellavit *Lucianus* quaſi *Syriâ* oriundum, qui tamen *Syra* inſulâ procreatus *Pherecydes* proinde rectiùs ab aliis Σύριος appellatur. Eodem ſcilicet, quo Cl. *Bentleius*, errore, patriam *Philoſophi* tribuens *Hiſtorico*. Utcunque tamen non alium ibi *Lucianus Pherecydem* intelligit quàm *Hiſtoricum Lerium*, quo quidem *Hiſtorici nomine* illum hoc ipſo loco diſtinguit à *Philoſopho* Pythagoræ *Præceptore*. Duos ille ordines agnoſcit φιλοσόφων & συγγραφέων quorum *poſteriori Pherecydem* complectitur. Scio quidem nomen

P. 58, 59.

nomen *Philoſophi* propriè ſic dicti à *Pythagorâ* cœpiſſe, *Pherecydis* diſcipulo. Non tamen ludit in voce *Lucianus*. *Philoſophorum* nomine complectitur illos qui antea *ſapientes* ſive σοφοὶ appellabantur, præſertim *ſeptem* eo nomine celeberrimos. Horum enim tres, *Solonem*, *Thaletem* & *Pittacum* ſub *Philoſophorum* μακροβίων claſſe recenſet. Erant autem qui loco *Periandri* tyranni *Pherecydem* potiùs ad *ſeptenarium* numerum complendum *Sapientum* ſufficiendum exiſtimabant. Vix eſt cur dubitemus quin hoc loco *Pherecydem* fuiſſet memoraturus Pythagoræ *Magiſtrum* loco poſt Pythagoram *proximo*, quo hos ſui ordinis *Sapientes* recenſuit *Lucianus*, ſi adeo fuiſſet *longævus* quàm credidit doctiſſimus *Bentleius*. Hunc certè *Pherecydem antiquiſſimum* cenſuit Scriptor in *Chronologiâ* accuratiſſimus, *Suida* teſte, *Porphyrius*, cui natalem *Olymp.* XLV. aſſignaverat ipſe *Suidas*. Nec tamen neſciebat quæ de variis ferebantur de *pluribus* eodem nomine *Pherecydibus*. Nec inter illos *Athenienſem* quibuſdam viſum *Pherecyde Syrio* antiquiorem. Cæterùm *Athenienſem* cum *Lerio* eundem credidit *Voſſius* pater, in eo *Porphyrio* aſtipulatus. Rationeſque dedit, cur ita ſenſerit, ſane veriſimillimas. Et verò cum hac, quam *Pherecydi* aſſignavimus, *ætate* ſatis aptè conveniunt *ætatis*, quas habemus, notæ. Γέγονε, inquit *Laertius*, κατὰ τὴν πεντηκοστὴν ἐνάτην Ὀλυμπιάδα. Tum autem egerit,

Laert. L.I. p. 121.

egerit, pro noſtris rationibus, annum ætatis LX^m· ſi quidem *primus* utriuſque *Olympiadis* annus intelligatur. *Euſebius* illius mentionem habet ad *Olymp.* LX. 2. quo anno *Ætatis* annum attigerit ſaltem LIX. Nec *longæviorem* fuiſſe veriſimile eſt quem nullus eſt qui *longævis* accenſeat. Nota utraque *Servij Tullij* Regno convenit, quo illum retulit *Cicero.* Convenit præterea, quod ex *Alexandro* de *Succeſſionibus* tradit *Laertius,* auditum à *Pherecyde* fuiſſe *Pittacum* De Scholarum *Philoſophicarum Succeſſionibus* agebat in illo Opere *Alexander.* Sic ergo docet *auditum* à *Pherecyde Pittacum* ut fuerit *Pittaci diſcipulus.* Sic itaque fuerit *ſeptem* Græciæ *Sapientibus* coætaneus *Pherecydes* ut fuerit nihilominus ipſis paulo *junior* quorum in *numero* erat *Pherecydis* Magiſter *Pittacus.* *Crœſi* tempora *Pittacum* attigiſſe docet *Laertius,* quibus diu non ſuperfuit, vel pro *noſtris* quoque rationibus, ipſe *Pherecydes.* Γέγονε (inquit de *Pittaco Suidas*) κατὰ τὴν λβ' Ὀλυμπιάδα, de *Natali* illius intelligendus. Vixit autem *annis* C. teſte in *Macrobiis Luciano.* Hi *Olympiades* conficiunt XXV. quæ ſuperiori *Olympiadi* additæ ad *Olympiadem* pertingunt LVII. *Crœſi* Regno ad *exitum* vergente. Non me quidem fugit eum Αὐτοδίδακτον facere *Suidam* & *Heſychium Illuſtrium.* Auctores nempe *minorum* gentium, nec cum *Alexandro* illo conferendi. Quaſi ſcilicet è *Phœnicum* Libris arcanis ſua fuiſſet

Cicer. Tuſc. I.

Laert. L. I. n. 116.

 mutuatus.

mutuatus. Quòd in *Phœnicum* Libris verſatum volebant *Pherecydem*, vereor ne ex errore illo fluxerit, quòd pro *Syrio* illum *Syrum* exiſtimârint. Vel etiam quòd *Phœnicum* Theologiam *Mochi*, quæ poſtea, *Pythagorâ* Auctore, in lucem publicam emanârit cum *Pherecydis* Theologiâ conſentaneam repererint, quæ cauſa eſſe potuit ut quæ *Mochi Phœnicis* Libris debuerit *Pythagoras*, ea illum à Præceptore *Pherecyde* didiciſſe exiſtimârint. Nam *peregrinatum Pherecydem* non legimus pro exemplo coævi *Solonis* & diſcipuli *Pythagoræ juniorumque* deinceps *Philoſophorum*. Et ſimile aliud exemplum habemus prædicti ex *aquâ* putei *terræmotus*. Hoc enim *Pythagoræ* tribuerat *Andron Epheſius*, *Pherecydi* autem *Theopompus*, ut è *Porphyrio* nos docet *Euſebius*. Illud præterea obſervavit *Porphyrius*, quòd *Metaponti* hunc *terræmotum* à *Pythagorâ* prædictum voluerit *Andron*, quem *Theopompus* à *Pherecyde* in *Syriâ* prædictum eſſe volebat. Unde hoc *Theopompus* niſi ut commodius *furtum* ſuum in *Pherecydem* transferret quem *Syrum*, non *Syrium*, exiſtimavit? Exhibet & aliud Exemplum *Laertius* quo non ſatis invicem diſtinguuntur Præceptor *Pherecydes* diſcipuluſque *Pythagoras*. Neſcio annon hinc alius quoque error fluxerit, quòd *Syrum Pythagoram* ipſum nonnulli fecerint, vel *Tyrium* (pro *Syrio*, ut videtur) quòd *illum* non ſatis accurate à *Præceptore* diſtinxerint.

Euſeb. Præp. Ev. L. X. c. 3. p. 464.

ſtinxerint. Sic invicem cohærent noſtræ *Pherecydis Pythagoræ*que Chronologiæ Alium autem, de quo loquitur *Lucianus*, *Pherecydem Lerium* vel *Athenienſem*, *Hiſtoricum*, nemo eſt, quòd quidem ſciam, qui *Pythagoræ* parem fecerit, niſi qui cum *Philoſopho* confuderit. *Illum* ne quidem *primis* accenſent *Hiſtoricis*, quos ſub *Dario Hyſtaſpide* floruiſſe volunt. Proinde veriſimilius eſt illum *ſecundis* eſſe potiùs accenſendum. Eò *Suidæ* verba retulerim; γεγονὼς πρὸ ὀλίγου τῆς οε' Ὀλυμπιάδος. Ut ſcilicet *Natalem* hujus *Pherecydis* deſignârit voce γεγονώς. Poſtea hunc eundem *Pherecydem Hiſtoricum* memorat, quem *Pherecydem ſecundum* appellat, *Olymp.* LXXXI. 1. Is ſi *ultimus* illius annus fuiſſet, ita *natus* fuiſſet *Olymp.* LIX. 4. multis ante *Xerxis* Expeditionem annis, quique ſufficerent ut *Hiſtoriam* ante *eam* ſcribere potuerit. Meliùs ergo propiuſque fortaſſe *Natalem* illius *annum* è *Suidâ* colligemus. *Natus* nimirum fuerit anno *Olymp.* LXXIV. 4. Sic annum *Ætatis* LXXXV^{m}. abſolverit *Olymp.* XCV. 1. qui fuerit ei proinde *fatalis*. Nec *procul*, ut opinor, à *vero* ejus *Natali* aberrabimus. Sic enim fuerit non *primis* qui *ante Xerxis* Expeditionem ſcripſerint, *Hiſtoricis* accenſendus, ſed potiùs *ſecundis*, qui poſt illam Epocham *Hiſtoriam* in lucem emiſerint. Plane tamen à Viri doctiſſimi conſilio alienus, ut ab *illius* ætate de *Pythagoræ* ætate pronuncietur. Sed de *primi*

Phere-

Pherecydis ætate favent nobis etiam illa *Suidæ* verba : Γέγονε δὲ κατὰ τὸν τῶν Λυδῶν βασιλέα Ἀλυάττην. Vera hæc eſſe ne quidem poterant ſi vera fuiſſet ſententia Domini *Bentleij*, ſi nempe anno *Olymp.* XXXVII. 4. *natus* fuiſſet *primus* ille, de quo agimus, *Pherecydes*. Tum enim *nondum* erat in Regno *Lydorum Alyattes*. Pro *noſtrâ* autem *Chronologiâ* erat, quæ proinde *verior* habenda eſt.

5\. Sunt quidem, fateor, & aliæ quoque apud *Laertium* in *Pherecydis* vitâ notæ cum *noſtrâ* Chronologiâ *minus* conſentaneæ. Et quidem *factorum*, non tantummodo *ratiociniorum*. Ait *Pherecydem* hoſpiti *Perilao Meſſenio* auctorem fuiſſe, ut è *patriâ* aliò migraret, negligente autem *Perilao*, captam fuiſſe à *Lacedæmoniis Meſſenen*. Hæc ſi vera, Bello aliquo *Meſſeniaco* oportuit vixiſſe *Pherecydem*. *Triplex* autem hoc *Bellum* memoratur à *Pauſaniâ*. *Primum* quod cœperit anno *Olymp.* IX. 2. deſiitque *Olymp.* XIV. 1. ad *exitum* vergente. *Secundum* quod XXXIX°· inde *anno* inierit *Olymp.* CXXIII. 4. profligatum *Olymp.* CXXVIII. 2. *Tertium decennale* quod ab *Olympiade* LXXIX. 1. inchoatum eſt, ſi *Pauſaniam* audiamus; pro *noſtris* autem rationibus *Thucydideis*, biennio *ante*. Priora Bella *antiquiora* ſunt quàm ut *Pherecydi Syrio* convenire poſſint, pro calculo etiam Adverſariorum. Nedum ut conſilium *Perilao* hoſpiti daret

Conciliantur aliæ *ætatis* notæ quæ *Pherecydi* tribuuntur apud *Laertium*, Bello *Meſſeniaco* tertio vixit *Pherecydes Hiſtoricus*. *Magneſiorum* cladem prædicere potuit *Olymp.* L. *Pherecydes* etiam *Philoſophus*.

Annal. *Thucyd.*

daret *Bello* nondum *oborto.* Et tamen hanc de *Pherecydis* ætate ſententiam ſecutus fuerit, ſiquid ipſe ſani ſenſerit, qui Obſervationes *Pythagoræ* Aſtronomicas ad *Olympiadem* retulit XLII. *Poſtremi* autem Belli *Meſſeniaci* tempus ætati *Pherecydis Hiſtorici* ut nobis deſignatæ non incommodè conveniet, ut is proinde reverâ fuerit qui rem habuerit cum *Lacedæmoniis*. Alia *nota* in eo eſt, quod fatali *Magneſiis* Bello quo ab *Epheſiis* exciſi ſint, corpus ſuum in agro *Magneſiorum* ſepeliendum commendârit, *pridie* quàm *prælium* committeretur. Hæc certè Epocha eadem fuiſſe de quâ *Clemens Alexandrinus*, quo loco agit de *Archilocho:* Μέμνηται γοῦν καὶ τῆς Μαγνητῶν ἀπωλείας, προσφάτως γεγενημένης. Σιμωνίδης μὲν οὖν κατὰ Ἀρχίλοχον φέρεται· Καλλῖνος δὲ πρεσβύτερος οὐ μακρῷ. Τῶν γὰρ Μαγνητῶν ὁ μὲν Ἀρχίλοχος, ἀπολωλότων· ὁ δὲ, εὐημερούντων μέμνηται. Idem antiquior *Clemente Strabo:* Καλλῖνος μὲν ὡς εὐτυχούντων ἔτι τῶν Μαγνητῶν μέμνηται, καὶ κατορθούντων ἐν τῷ πρὸς Ἐφεσίους πολέμῳ, Ἀρχίλοχος δὲ ἤδη φαίνεται γνωρίζων τὴν γενομένην αὐτοῖς συμφορὰν κλαίειν Θάσιον οὐ τὰ Μαγνήτων κακά· ἐξ οὗ καὶ τὸ νεώτερον εἶναι Καλλίνου τεκμαίρεσθαι πάρεστιν. De eodem agi *Magneſiorum* in *Epheſios* Bello vel inde manifeſtum eſt. Hinc verò nullum ſubſidium ſi *Veteres Grammaticos* audiamus qui primi *Poëtas vetuſtiſſimos* Scholiis illuſtrârunt. Horum enim alij *Gygis* temporibus illum aſſignant, alij *Olymp.*

Plin. Nat. Hiſt. L. II. c. 8.

Cl. Alex. Strom. I.

Strab. L. XIV. p. 647.

Olymp. XVIII. alij XXIII. alij XXIV. Ad eundem plane modum quo etiam in *Homeri* ætate ſtatuendâ utuntur, cui coævum hunc eundem eorum nonnulli faciunt *Archilochum.*
Diſſ. III. de Cycl. §. 9. & Addend. Sed *Homeri* quoque *ætatem* nos *recentiorem* oſtendimus quàm illi crediderint *Grammatici.* Pariter ergo in *Archilochi* etiam ætate faciendum eſt. Anſam ſuppeditat ita faciendi hic ipſe *Clementis* locus quo *Simonidem* Poëtam parem facit *Archilocho.* Paritas illa niſi de *Simonidis natali* intelligi plane non poteſt. Egit autem *Simonides* annum ætatis LXXX[m.]
In D. *Boyl.* p. 41, 42. Archonte *Adimanto*, ut ex ipſo *Simonide* probavit Cl. *Bentleius.* Hunc nos *Archontem* aſſignavimus *Olymp.* LXXV. $\frac{1}{4}$. in Annalibus *Thucydideis.* Nempe anno ante *Chriſtum* 477. Periodi autem *Julianæ* 4237. Sic *natus* fuerit anno Periodi *Julianæ* 4157. *Olymp.* LV. $\frac{1}{4}$. quo fuerit proinde ſuperſtes *Archilochus.* Nec *multo* antea *Homerum* deceſſiſſe probavimus. Ergo hoc ipſo *anno* in vivis erat *Pherecydes*, quod convenit cum *noſtris* rationibus accuratiſſimé. Nec multo aliter ſe res habebit ſi *majorem* natu *Simonidem*, ipſum quoque *Poëtam*, & minoris *avum*, intelligi malit Cl. *Bentleius.* Illius quoque mentionem legimus anno quo deceſſit *Darius Hyſtaſpis* in *Chronico Marmoreo.* Annus erat Periodi *Julianæ* 4228. Sic anno *Nepotis* LXXI[o.] exceſſerit ſi *annum* illum illius *ultimum* cenſuerit Auctor *Chronici.* Sic illum, utcunque *longævum* ſupponamus, ægrè tamen nepote *majorem quadragenario* ſuppo-

ſupponemus. Ita ergo ſe habuerit. Sic annum *natalem* vel *eundem* habuerit cum noſtro *Pherecyde*, vel non admodum à *Pherecydis natali* remotum, pro *noſtris* quoque rationibus. Aſtipulabitur ergo nobis, potiùs quàm refragabitur, hoc *Laertij* teſtimonium. Vidimus præterea *Callinum Archilocho* hoc Argumento paulo *antiquiorem* haberi, quòd *Magneſiorum* meminerit *florentium*, quorum *exciſorum* mentionem fecerit *Archilochus*. Sed vero *Cimmeriorum* in *Aſiam* expeditionem memoravit ipſe *Callinus*, atque ita memorat quaſi, illo ipſo *tempore*, quo illa commentabatur, ſuſceptam. Sic enim de illâ *Strabo*: Ἄλλης δὲ τινὸς ἐφόδου τῶν Κιμμερίων μέμνηται πρεσβυτέρας ὁ Καλλῖνος ἐπὰν φῇ· Strab. L. XIV. p. 648.

> Νῦν δ' ἐπὶ Κιμμερίων στρατὸς ἔρχεται ὀμβριμοέργων,

Ἐν ᾗ τὴν Σάρδεων ἅλωσιν δηλοῖ. Hinc certè colligitur *Magnetum* cladem ab illâ *Cimmeriorum* Expeditione non eſſe *longe* removendam, ut utramque *proximè* attingeret *Callinus*. Vix eſt cur dubitemus huc referenda eſſe verba *Herodoti* de *Ardye Lydorum* Rege: Ἐπὶ τούτου τε τυραννεύοντος Σαρδίων, Herodot. I. 15. Κιμμέριοι ἐξ ἠθέων ὑπὸ Σκυθέων τῶν νομάδων ἐξαναστάντες, ἀπικέατο ἐς τὴν Ἀσίην, καὶ Σάρδις πλὴν τῆς ἀκροπόλεως εἷλον. Hoc cum *Ardye* contigerit, proinde ante *Olymp.* XXXVII. ½. contigerit oportet, quo *Ardys* extinctus eſt pro rationibus *Herodoti*. Et tamen poſt

Olymp.

Olymp. XXXVI. ½. quo cedidit *Cimmeriorum* opera *Medorum* Rex *Phraortes*, ut alibi oſtendimus. Imo ipſo illo *anno* quo ingruebant *Cimmerij Olymp.* XXXVI. ½. videtur ſcripſiſſe *Callinus*. Huc ſpectant & alia *Strabonis* verba, & quidem ex eodem *Callino*, ſed ex *antiquioris* ſe *Auctoris* fide *Caliſthenis* ab *Alexandro* M. occiſi: Φησὶ δὲ Καλλισθένης ἀλῶναι τὰς Σάρδεις ὑπὸ Κιμμερίων πρῶτον, εἶθ' ὑπὸ Τρηρῶν καὶ Λυκίων, ὅπερ καὶ Καλλῖνον δηλοῦν τὸν τῆς Ἐλεγείας ποιητήν. Ὕστατα δὲ τὴν ἐπὶ Κύρου καὶ Κροίσου γενέσθαι ἅλωσιν. In eo etiam alibi ſuffragatur *Herodotus Crœſo* antiquiorem hanc fuiſſe *Magneſiorum* à *Cimmeriis* cladem. Malè autem *Athenæum* intellixit Magnus *Caſaubonus* cum cladis *Magneſiorum* propter *luxum* teſtes *Callinum* & *Archilochum* advocat *Athenæus*. Nam *luxûs* tantummodo teſtem volebat *Callinum*, *cladis* autem *Archilochum*, ut è dictis conſtat. Sic nulla erit, quam credit, *pugna* inter illum & *Strabonem* vel *Clementem*. Hic ergo ætatem tenemus *Callini* quem *antiquiſſimum* cenſent *Elogiarum* Auctorem. *Mimnermum* certe Poëtam *Elegiacum Olympiadi Suidas* aſſignat XXXVII. & *Tyrtelum Olympiadi* XXXV. utrumque *Callino* paulo *juniorem*. Proinde mihi ſuſpecta ſunt quæ de *ſecundi* Belli *Meſſeniaci* fine habet *Pauſanias*, quod ab hoc *geſtum*, & carminibus *Elegiacis* magis quàm *armis*. *Ardyem* certe & *Phaortem* in *Lydiæ Mediæ*que Regnis reperiſſe dicitur cum in *Aſiam* è *Meſſeniâ* fugeret

Addend. ad Diſ.III. de *Cycl.*

Caſaub. ad *Ath.*XII.5.

Procl. in Chreſtom. ap. *Phot.* & *Strab.*

geret dux *Meſſeniorum* fortiſſimus *Ariſtomenes.* Paulo nimirum *antea* quàm à *Scythis Cimmerios* perſequentibus *Phraortes* interficeretur, quod *Olymp.* XXXVI. ½. factum oſtendimus. Accuratè ſatis pro initio *Tyrtai* circa *Olympiadem* XXXV. Hæc tamen oſtendunt non *initium Callini*, ſed *mediam* potiùs ætatem, ab *Olympiade* XXXVI. ½. eſſe repetendam. Sic *Homero* fuerit *antiquior*, quem eò propendet potiùs *Strabo*, & quidem meritò, ut *juniorem* faciat irruptione *Cimmeriorum.* Nec enim in *Aſiâ Cimmerij*, ſed in *propriis* ſuis *ſedibus* quo redierant ex *Aſiâ* fugati, memorantur ab *Homero.* Hoc quoque rectè, ut *Homero* antiquior fuerit, *Callinus* qui *Archilocho* antiquior erat, quem *parem* faciunt *Homero.* Poſt annos XXVIII. *Olympiades* VII. *fugati* ſunt ex *Aſia,Cimmerij.* Itaq; poſt *Olymp.* XLIII. ſcripſerit oportet *Homerus.* Quamdiu *poſtea* nondum conſtat. Huc ergo quæ in Diſſertationibus diximus exigenda ſunt. Nondum autem conſtat quo *tempore* ſcripſerit ea *Callinus*, quæ de *florentibus* ſcripſit *Magneſiis.* Videamus itaque. Ait *Strabo* hac ipsâ *Cimmeriorum* irruptione ab ipſis *deletos* fuiſſe *Magneſios.* Addit præterea *Cimmerios* εὐτυχῆσαι πολὺν χρόνον. Hunc πολὺν χρόνον de XXVIII. annis intelligo, quibus rerum in *Aſiâ* potiti ſunt *Scythæ*, qui *Cimmerios* in *Aſiam* perſecuti ſunt. Nec enim antea *Cimmerios* ex *Aſiâ* pellere *Lydis* licuit quàm *Medi Scythas* pepuliſſent. Proinde *Olymp.* XLIII. ½. *Cimmerios* fugavit *Alyattes.*

Diſſ. III. de *Cycl.* §. 14.

Strab. L. XIV. p. 647.

Alyattes. Subjungit *Strabo:* τῷ δ᾽ ἑξῆς ἔτει Μιλησίους καταχεῖν τὸν τόπον. Nempe *Olymp.* XLIII. $\frac{2}{3}$. Nondum ergo reſtituti ſunt in patriam *Magneſij.* Sed verò *Crœſus* tam *Iönes* quàm *Æoles* in ſuam poteſtatem redegit teſte *Herodoto* l. 6. Inde nullæ poterant eſſe pugnæ inter *Magneſios* & *Epheſios.* Iidem rurſus ab *Harpago, Cyri* auſpiciis, devicta otium non habebant arma in ſe mutuo convertendi. Et tamen *Magneſiorum* ſub *Dario Hyſtaſpide* meminit *Herodotus*, L. III. c. 90. non jam *Mileſiorum.* Inde intelligimus, *medio* aliquo tempore inter *Olymp.* XLIII. $\frac{2}{3}$. & initium *Crœſi* Olymp. LIV. $\frac{3}{4}$. ejectis *Mileſiis* rurſus *patriam* reſtituiſſe *Magneſios.* Hoc item ſpatio neceſſe eſt ut *Bella* illa invicem geſſerint *Magneſiis* fatalia. Si quidem *Olymp.*L. *ſene* quidem geſſerint *Callino*, *Pherecyde* autem *vicenario. Vivus* enim ipſe *Pherecydes* hoc *Epheſiis* præceperat pro omine *victoriæ*, ſe multis *poſtea* annis defunctum, ut in agrum *Magneſium* transferretur. *Omina* enim fuiſſe in tranſlationibus *cadaverum* oſtendunt, exempla *Oreſtis* à *Lacedæmoniis*, & *Theſei* ab *Athenienſibus* tranſlatorum. Nihil ergo abſurdi erat ſi vivi *Pherecydis* omen multis poſtea annis, quàm è *vivis* excederet, impleretur. Sed verò ad hoc poſterius intervallum potius referendæ res proſperæ *Magneſiorum* à *Callino* memoratæ, ſi quidem ad Bellum *Epheſinum* referendæ ſint, ut vidimus, disertè teſtari *Strabonem. Excidium* enim eorum à *Cimmeriis* erat quod proxime ſequebatur impetum illum

Cimme-

riorum cujus meminit idem *Callinus.* Nec cum *Pythagoræ* Hiſtoriâ pugnabit ſi ſepultum à *Pythagora Pherecydis* cadaver in agrum *Magneſiorum* tranſtulerint ominis ab eo dati beneficio victores *Epheſij.* Ita noſtris rationibus ſatis aptè conveniet hæc quoque nota *temporis* quo vixerit *Pherecydes.* Idem probat denique & *Heliotropium* in *Syrâ* patriâ à *Pherecyde* poſitum. Τροπὰς enim *primus* dicitur reperiſſe *Thales* à quo proinde didicit *Pherecydes. Thaletem* autem *Olymp.* XXXV. 1. *natum* omnes conſentiunt. Ejuſdem, ſcio, in *Syrâ Heliotropij Homerum* meminiſſe ob- Odyſſ. O. ſervatum eſt. Non tamen propterea colligendum eſt *antiquius* illud fuiſſe *Pherecyde*, ſed contra potiùs hæc ipſa *Thaletis* & *Pherecydis* tempora *Homerum* attigiſſe. Ad ſpeluncam *Aſtronomicam* retuliſſe veteres quibus τροπαὶ explorabantur, conſtat ex *Euſtachio.*

6. *Pugil Pythagoras* idemne cum *Philoſopho* fuerit incertum eſt. *Multorum Pythagorarum* Hiſtorias in *unici Philoſophi* Hiſtoriam contulerint imperiti *Veteres.*

Unica eſt, quæ in contrarium obtenditur, ratio cur adeo *antiquos* credunt Adverſarij *Pythagoræ Philoſophi* natales, quòd eundem credant cum *Pythagorâ* pugile *Olympionicâ* Olymp. XLVIII. Quaſi verò nulli fuiſſent, in illâ præſertim *Hiſtoriæ* infantiâ, in viris illuſtribus, qui *eodem nomine* veniebant, invicem permiſcendis *errores.* Cur itaque tot vetuſtiſſimorum *Grammaticorum* Scripta de Viris *cognominibus?* Scripſit *Caſtor* de *Regibus ambiguis.* Scripſit *Demetrius Magneſ.* περὶ Ὁμωνύμων à quo multa paſſim *Laertius.*

Præſertim his in quibus verſamur, temporibus Philoſophorum *antiquiſſimorum*. Paſſim occurrunt in *Laertio cognomines* Philoſophis Viri quacunque demum arte celebres. Occurrunt etiam in hac ipſâ, de quâ agimus, Vitâ *Pythagoræ Philoſophi* alij quoque qui eodem fuerint *nomine* cum hoc noſtro quoque *Philoſopho* Pythagoræ *plures* è prædicto, ut videtur, *Demetrio Magneſio*. Occurrunt *plurium* ejuſdem cum Philoſopho *nominis* virorum veſtigia cum Philoſopho *confuſorum*. Non aliò retulerim tam diverſas Philoſophi *patrias*. *Samium* quidem, fateor, plerique faciunt. Erant autem præterea qui *Phliaſium* facerent, erant qui *Metapontinum*, ut è *Lyco* Hiſtorico docuit *Porphyrius*. *Sidone* ortum alij, teſte *Jamblicho*, malebant. *Tyrrhenus* erat Auctoribus magni nominis *Ariſtoxeno*, *Ariſtarcho*, *Theopompo*, ut nos docet *Clemens Alexandrinus*, & *Theodoretus*, *Therap.* & *Euſeb.* Pr. Ev. X. 4. *Neanthi Syrius*, vel *Tyrius*, vel *Syrus* fortaſſe potiùs, ex urbe *Tyro*. *Patriam* ergo *Pythagoræ* Philoſophi non minus *incertam* cenſuit *Joſephus* quàm Poëtæ fuerit *Homeri*. Et ſane de patriâ *natali*, non *adſcititiâ*, illam fuiſſe difficultatem exinde conſtat, quòd *incertum* inde fuiſſe collegerint Viri Eruditi, *Græcúſne* fuerit, an *Barbarus*, origine. *Plurium* certè potiùs *hominum* quàm *unius* illas tam longe invicem diſſitas *patrias* fuiſſe veriſimillimum eſt. Et certè *Italum* origine Sectæ *Italicæ* conditorem exiſtimâſſe videntur,

Jamblich. L. I. c. 2.

Joſeph. contr. *Apion.* L. II. init.

videntur, qui *Pherecydis* ſepeliendi causâ *Pythagoram Italiâ* abfuiſſe cenſebant, qui tamen, ſuperſtite etiamnum *Pherecyde* nondum *Italiam* vel *oculis* uſurpârit. Ne autem falli in his temporibus Cl. *Bentleius* miretur *Eratoſthenem*, antiquiores erant *Eratoſthene* Auctores qui tantâ invicem ſententiarum *diſcordiâ* de noſtro Philoſopho invicem *pugnabant*. Nec in *patriâ* minus, quàm *ætate*. *Antiquior* noſtro *Pythagoras* erat *Eratoſtheneus*. Et *Eratoſtheneo* viciſſim *antiquior* quem *Plinius* Aſtronomica obſervâſſe credidit *Olymp.* XLII. cum jam rudis eſſet infanſque admodum Aſtronomia. Et *Pliniano* rurſus antiquior *Pythagoras Pauſanianus* quem *quartum* ille cenſet ab *Heraclidis*. Unum tamen omnes eumdemque *Philoſophum* intelligunt. Ex iſtiuſmodi *primorum* Hiſtoricorum *diſcordiis* colligunt veteres *Grammatici* multos fuiſſe eodem *nomine* tam *Deos* quàm *homines* quorum geſta invicem confunduntur à Scriptoribus *vetuſtiſſimis* qui *antea* vixerint quàm ullæ proſtarent publicæ *Bibliothecæ* quarum beneficio contendi invicem poſſent diverſorum Scriptorum locorumque Traditiones. Inde multi *Joves*, *Apollines*, *Mercurij*, *Minervæ*, *Hercules*, *Bacchi*, *Homeri*, aliique primis *Hiſtoricis* antiquiores, *Dij*, *Heroes*, atque *homines*. Et ſane *quatuor* ad minimum *Pythagoras* obſervavit *Laertius* ne quidem *ætate* diſcrepantes, qui poterant adeo invicem facillimè permiſceri, περὶ τοὺς αὐτοὺς, inquit, χρόνους,

Plin. Nat. Hiſt.

Pauſan. Corinth.

Laert. VIII. 40.

χρόνους, οὐ πολὺ ἀπ᾽ ἀλλήλων ἀπέχοντας· Primum ſcilicet tyrannum *Crotoniatem*, qui poterat adeo incendio *Cyloniano* perire, cui tamen ſuperſtitem *Philoſophum* noſtræ probant rationes. Hunc autem cum *Philoſopho* eundem faciunt qui propterea *Philoſophum* tyrannidis inſimulant. Secundum *Phliaſium* σωμασκητὴν & ἀλείπτην, quem cum *Philoſopho* eundem crediderunt qui ſub illius diſciplinâ victoriam in *Olympiis* reportâſſe volebant *Eurymenem*. Alius tamen fuerit oportet à *Philoſopho*, quem non *Mneſarchi* filium, ſed *Eratoclis*, agnoſcit *Jamblichus*, c. 5. p. 40. Tertium *Zacynthium*, qui Auctor fuerit ut, pro *arcani* diſciplinâ, *Philoſophiâ* traderetur; à quo Proverbiale illud, αὐτὸς ἔφα, in vitam emanarit, quæ ambo manifeſtum eſt *Philoſopho* fuiſſe imputata. Hujus *Zacynthij* meminit Auctor *Muſices* antiquiſſimus *Ariſtoxenus*. Quartum non numerat *Laërtius*, ipſumque fortaſſe *Philoſophum* intellexit, quem his acceſuerit *coævis* quos proximi Seculi Scriptores non alios à *Philoſopho* exiſtimabant. Dedit & alios eodem nomine *Pythagoras* illo ipſo in loco *Laertius*, & XXIX. recenſet Cl. *Jonſius*. Proclivius autem erat ut *coævos* invicem permiſcerent *proximi* à memoriâ *Philoſophi* Seculi *Traditiones*. Imo permiſcuiſſe ex his ipſis, quæ dedimus, *exemplis* manifeſtum eſt, ſi ſaltem fidem peritiſſimorum *Grammaticorum* ſequamur. Quidni itaque permiſcuerit etiam *Eratoſthenes*?

Jonſ. de Script. Hiſt. *Phil.* L. IV. p. 341.

Sed

Sed nec adeo *certum*, quod pro certo habet Vir Eruditiſſimus, *Philoſophum* cum *Pugile* eundem crediдiſſe *Eratoſthenem.* Alius fuerit oportet *Pythagoras*, de quo ibi loquebatur *Laertius*, ſi *nexum* ullum habeant illius de *Eratoſthene* verba cum verbis ejuſdem proximè præcedentibus. Suprà dixeram: Καὶ ἕτερον, *Pythagoram* ſcilicet, Δωρικὰ πεπραγματευμένον, ὡς Διονύσιος ἱστορεῖ. Sequitur deinde: Ἐρατοσθένης δέ φησι (καθὸ καὶ Φαβωρῖνος ἐν τῇ ή παντοδαπῆς ἱστορίας παρατίθεται) τοῦτον εἶναι τὸν πρῶτον ἐντέχνως πυκτεύσαντα, ἐπὶ τῆς ὀγδόης καὶ τεταρακοστῆς Ὀλυμπιάδος, κομήτην, καὶ ἁλουργίδα φοροῦντα· ἐκκριθῆναί τε ἐκ τῶν παίδων, καὶ χλευασθέντα, αὐτίκα προσβῆναι τοὺς ἄνδρας, καὶ νικῆσαι. *Alius* erat ille, de quo hoc loco ſermo erat, *Pythagoras* à *quatuor* ſibi invicem coævis ſuprà memoratis, quorum unum *Philoſophum* fuiſſe veriſimillimum eſt. Fecit enim communis omnibus *ætas* cum *Philoſopho* ut cum *Philoſopho* iidem crederentur. Sic ergo, ſi *Laertij* mentem aſſecuti fuerimus, *alterius* fuerit à *Pythagorâ Philoſopho ætatis Pythagoras* ille de quo loquitur, hoc in loco, *Laertius.* Idem præterea exinde colligitur quòd Scriptorum *Doricâ* linguâ conceptorum Auctorem *Laertius* hunc crediderit *Pythagoram.* Hunc enim alium à *Philoſopho* credidiſſe neceſſe erat qui negabant quidpiam à Philoſopho *literis* fuiſſe conſignatum. Ita [1] *Joſephus*, [2] *Plutarchus*, [3] *Lucia-*

7. *Pugilem Pythagoram* cum *Philoſopho eundem* fuiſſe non cenſuit *Eratoſthenes.*

Laert. VIII. 47.

[1] *Joſeph.* cont. *Apion.* L. II.

[2] *Plutarch.* de Fort. *Alexand.*

[3] *Lucian.* L. de *Capſ.* in Salut. [4] *Porph.* Vit. *Pythag.* [5] *Rufin.* in *Hieronym.* [6] *Claud. Mamert.* de Stat. Anim. L. II. c. 3.

3 *Lucianus*, [4] *Porphyrius*, [5] *Rufinus*, [6] *Claudianus Mamertus*. Hoc nempe volebant, μηδὲν ὁμολογεῖσθαι, ut cautè loquitur *Joſephus*. Alioqui multa fuiſſe Scripta quæ *Pythagoræ* nomen ementiebantur, nemo dubitabat, quæque à multis *Philoſophi* fuiſſe à minùs cautis credebantur. Reverâ tamen aliis Auctoribus, vel *Lyſide*, vel *Helothale Epicharmi* patre, vel *Crotone*, vel *Hippaſo*, vel *Aſtone*, *Crotoniate*, vel *Cleempere*, &c. Sic enim receptum ut *conditoris* nomen ferrent Libri in *Sectâ* quâque celebres. Ita *Chaldæorum* Oracula ſub *Zoroaſtris* nomine venditabantur, *Ægyptiorum* Philoſophia vel Religio, ſub nomine *Hermetis* vel *Orphei* qaem ſua ab *Ægyptiis* hauſiſſe volebant. Ita ſcilicet primi *inſtitutoris* memoriam colendam cenſuerunt. Nec verò *Sectam* ullam unquam legimus quæ plus *conditoris* memoriæ detulerit quàm *Pythagoræi*. Nullas ergo legimus in eâ natas *Hæreſes* quòd ſua omnia *Præceptori* accepta retulerint, nec propriis inventis illius diſciplinam excolendam cenſuerint. Scio quidem non *ſeriò* illos loqui credere *Laertium* qui *Scripta Pythagoræ* nulla prorſus agnoſerent. Non tamen illud, quod volebat *Laertius*, è teſtimonio *Heracliti* Philoſophi rectè conficit.

Laert. VIII. 6.

Agnoſcit quidem *Heraclitus* in *Pythagorâ* ἱστορίην ἀνθρώπων μάλιστα πάντων. Agnoſcit σοφίην illius è *Scriptis* undique collectis congeſtam.

geſtam. Non tamen inde ſequitur quidpiam ab *ipſo* ſcriptum fuiſſe *Pythagorâ*, quod innotuerit *Heraclito*. Ἱστορίη illa *varia* erat illius *eruditio* è tot gentium *Traditionibus Peregrinationibuſque* collecta. Par erat *Heraclito Democritus* qui hâc ipsâ *ſententiâ* verbum illud uſurpavit. Sic enim habent *Democriti* verba apud *Clementem Alexandrinum :* Ἐγὼ δὲ τῶν κατ' ἐμαυτὸν ἀνθρώπων γῆν πλείστην Clem. Alexand. Strom. I. ἐπεπλανησάμην, ἹΣΤΟΡΕ'ΩΝ τὰ μήκιστα· καὶ ἀέρας καὶ γέας πλείστας εἶδον· καὶ λογίων ἀνθρώπων πλείστων ἐσήκουσα. Locus plane geminus eſt de *Peregrinationibus Eruditionis ergô* Ibid. intelligendus quem Libro titulum fecit *Philo Judæus* qui eidem *Clementi Pythagoræus* erat. Primum enim harum *Peregrinationum* exemplum erat à *Pythagorâ*, quem alij deinde multi imitati ſunt, Seculis proximè ſequentibus, *Sophiſtæ* & *Philoſophi*. Nihil ergo commune habebat cum *ſcriptis* Hiſtoriis *Pythagoræ* illa ἱστορίη, qui, pro Adverſariorum hypotheſibus, *nullos* habuit *coævos* ; pro noſtris autem admodum *paucos*, è primis omnium *Græcorum Hiſtoricis*. Nulla præterea mentio apud *Heraclitum* Operis à *Pythagorâ ſcripto* conſignati, utcunque illum è *Scriptis alienis* proſeciſſe concedamus. Imo *Scriptorum*, quæ *Pythagoræ* tribuenda cenſuit *Laertius*, meminiſſe ne quidem potuit *Heraclitus*. Idque nos docet ipſe *Laertius* : Γέγραπται δὲ (inquit) τῷ Πυθαγόρᾳ Laert. VIII. 6. συγγράμματα τρία· παιδευτικὸν, πολιτικὸν,

φυσικόν. Sed verò hæc tria *latuiſſe* uſque ad *Philolaum* & *Platonem*, idem ipſe teſtis eſt *Laertius*, verbiſque pariter in hanc ſententiam diſertis: Μέχρι δὲ Φιλολάου οὐκ ἦν τι γνῶναι Πυθαγόρειον δόγμα. Οὗτος δὲ μόνος ἐξήνεγκε τὰ διαβόητα τρία βιβλία, ἃ Πλάτων ἐπέστειλεν ἑκατὸν μνῶν ὠνηθῆναι. Si nullum prorſus *Pythagoræ Scriptum* in lucem *publicam* emanârit ante *Philolaum*, quomodo, quæſo, ullum *Heraclito* innotuit *Sectæ extraneo*, nec *arcanorum* conſcio, qui tamen *Pythagoræ* ipſi *par* pene fuit, & *Philolao* aliquanto etiam *antiquior*? Vix eſt cur dubitemus quin hæc tria διαβόητα βιβλία ipſa illa fuerint tria συγγράμματα quæ priori loco ipſæ *Pythagoræ* attribuerat. Hunc enim ipſum numerum agnoſcunt qui Libros *Pythagoreorum* operâ *Platonis* erutos teſtantur. Et *rationem*, cur *Pythagoræ* tribuerentur, illam agnoſcit *Jamblichus*, quòd *mos* eſſet à *Pythagoreis* receptus ut *ſua* etiam inventa *Pythagoræ* imputarent: Καλὸν δὲ καὶ τὸ πάντα (inquit) Πυθαγόρᾳ ἀνατιθέναι τε καὶ ἀπολάλειν, καὶ μηδεμίαν περιποιεῖσθαι δόξαν ἰδίαν ἀπὸ τῶν εὑρισκομένων, εἰ μή που τι σπάνιον. Proinde non eſt cur miremur in ἱερῷ λόγῳ *Pythagoræ* perſonâ ſermonem haberi. Cauſas ergo cur tandem *interciderint*, inter alias, has etiam recenſet *Porphyrius*: Διὰ τὸ καὶ τὰ γεγραμμένα Δωρίδι γεγράφθαι· ἐχούσης τι καὶ ἀσαφὲς τῆς διαλέκτου· καὶ μηδὲν διὰ τοῦτο ὑπονοεῖσθαι, καὶ τὰ ἀπ' αὐτῆς ἀνιστορούμενα δόγματα ὡς νόθα

καὶ

Laert. VIII. 15. Sic item *Jamblich.* Vit. *Pyth.* c. 31. p. 172.

Laert. ib. *Jamblich.* Vit. *Pyth.* c. 31. p. 172. *Gel.* III. 17.

Jamblich. Vit. *Pyth.* c. 20. cujus tamen *Auctor* alius erat à *Pythagora.*

Vit. *Pyth.* p. 205.

καὶ παρηκυσμένα· τῷ μὴ ἄντικρυς Πυθαγορικὰς εἶναι τὰς ἐκφέροντας ταῦτα. Loquitur manifeſtò de *Scriptis Doricis* quorum Auctor fuerit *Pythagoras Eratoſtheneus*, quæ tamen *notha* pronunciat quà *Philoſopho* aſſignabantur, ipſiſque ſuſpecta *Pythagoreis*. Eâ potiſſimùm ratione quòd ab illis emanâſſent qui *fidem* Sectæ datam de *arcanis* minimè *vulgandis* prodiderant, quique adeo pro *veris Pythagoreis* minimè habendi eſſent. Fecitque *intervallum*, quo latuerant, quo minùs *genuina* crederentur, quæ à *ſuſpectis*, nec eâ, quæ fas eſſe credebatur, *reverentiâ*, Magiſtri *memoriam* venerantibus, prodierant. Alius ergo à *Pythagorâ Philoſopho* fuerit oportet qui verè *Scriptorum* Auctor fuerit quæ *Philoſophi* nomen duntaxat *ementiebantur*. Saltem ex eorum ſententiâ qui *Philoſophi* nomen ementitum exiſtimabant, in quorum numero *Dionyſius* erat, ni fallor, *Halicarnaſſæus*, Criticus ſui Seculi accuratiſſimus. Pergit deinde *Laertius*, & alia quædam addit de *Pythagora Athletâ* pro variis *Scriptorum* ſe vetuſtiſſimorum *ſententiis*. Ultimo nimirum loco de eo intelligendum eſſe cujus ibi mentionem facit, *Epigramma*. Verba ejus ita ſe habent : Ἐπὶ δὲ τοῦ ἀθλητοῦ καὶ τοῦτο ἐλέγετο τὸ ἐπίγραμμα, &c. Vel inde intelligimus de eodem *Pythagorâ Athletâ* eouſque fuiſſe ſermonem. *Alium* tamen illum à *Philoſopho* fuiſſe docent verba *proximè* ſequentia : *Laert.*
Ὁ δὲ Φιλόσοφος καὶ ᾧ δὲ ἐπέστειλε, &c. Hoc VIII. 48, 49.
ergo

ergo tantummodo volebat, *Laertio* teſte, *Phavorinus*, eundem fuiſſe *Pythagoram* Scriptorem *Doricâ* linguâ Auctorem cum cognomine *Olympionicâ*, non autem eundem fuiſſe cum *Philoſopho*, pro ſententiâ *Eratoſthenis*. Hunc etiam alij eundem fuiſſe credebant qui fuerit à *Cylone* oppugnatus. Sed *alium* illum à *Philoſopho* crediderint oportet qui *Philoſophum* incendio *Cyloniano* ne quidem *interfuiſſe* tradebant. Et quidem hic hallucinatos fateor qui tum *Pherecyde* Præceptore ſepeliendo *Philoſophum* occupatum volebant. Hoc enim cum verâ *temporum* doctrinâ pugnare vidit, teſte *Porphyrio*, accuratiſſimus *Dicæarchus*. Solidius argumentum erat à *recentioribus* incendio *Cyloniano* ductum *Pythagoræ Philoſophi* peregrinationibus, in portum primo *Caulonium*, inde ad *Locros*, inde *Tarentum*, tum poſtea *Metapontum*, ubi *novâ* perierit civium *ſeditione*. Hæc ſane *facta* vera *omnia* eſſe non poterant, niſi *alius* fuerit qui *Crotone* perierit *Pythagoras*, alius qui *Metaponti*, vel in *prælio* cum *Syracuſanis* multis poſt incendium *Cylonianum* annis. Idque ſane veriſimile eſt *cognomines* in Sectâ *Pythagoreâ Pythagoras* juniorum *Pythagoreorum* Traditiones non ſatis accurate invicem diſtrinxiſſe, ſed *diſcipulum* qui *Cylonis* adverſarij ſeditione perierit cum *Magiſtro* confudiſſe qui multis *poſtea* annis fuerit ſuperſtes. Quæ ſane *confuſio* facilis admodum erat cum vel nullæ omnino, vel *paucæ* admodum,

extarent

extarent *Hiſtoriæ.* Sic item optimè *Hiſtorias* invicem *conciliabimus*, ſi ad *Pythagoræ Samij Philoſophi* diſciplinam acceſſerit *Pythagoras* natu major *Athleta* etiam ipſe *Samius.* Rectè enim ei obitus Philoſophi obitu *maturior* aſſignandus erat, cujus etiam *natalis* aliquanto fuerit *maturior.* Rectè item *Athleticæ* operam ex profeſſo dederit *Pythagoras* ille *ſenior* cum tamen, *exercitio* tantummodo probato, *agones* ipſos diſſuaſerit *junior* eodem nomine *Philoſophus.* Rectè item potuit *animalium* quorundam *carnes* & *fabas* ſuis diſcipulis *Athletis* permittere *Pythagoras Athleta*, ſaltem *antea* quàm ad *junioris* civis diſciplinam ſeſe contuliſſet, quæ tamen ſuis *Philoſophis* interdixerit *Pythagoras Philoſophus.* Et ſane ad *carnis* firmitatem *corporiſque* craſſitudinem ſpectabat victus ille *Pythagoræ ſenioris*, quarum rationem præcipuam habebant *Aliptæ* victûs *Athletici* Præceptores, ab *animi* curâ alienas, quæ tamen erat præcipua *Philoſophi.* Hæc ſi vera (quæ vera credidiſſe videtur *Eratoſthenes*) *Scripta* illa, quæ *Pythagoræ* nomine ferebantur, hujus fuerint *Pythagoræ Pugilis*, non *Philoſophi.* Et *filia* item *Damo Pugilis* fuerit non *Philoſophi*, cujus fidei credita *Pythagoræ* patris ὑπομνήματα refert *Lyſis* ipſe *Pythagoreus*, ſi quidem *genuina* ſit illa *Lyſidis* Epiſtola, à *Damo* viciſſim *Vitale* filiæ credita, quæ etiam ipſa *Telaugi* Philoſophi Pythagoræ *filio* nupſerit. Non certè *matris fratri.* Duos ergo *Pythagoras* fuiſſe Ap. *Laert.* VIII. 42.

conſen-

conſentaneum eſt, quorum *junioris* filius fuerit *Telauges*, majoris autem *filia Damo*, *neptis* autem *Vitale* nupta *Telaugi*. Accuratè hæc cum *duorum Pythagorarum* ætatibus conveniunt quà nos illas deſignavimus. Nec ſane *Damonem* aliquam *Pythagoræ Philoſophi* filiam agnoſcunt qui *filias* illius recenſent, niſi qui illum cum *Pythagorâ Pugile* eundem cenſuerunt. *Duas* tantummodo *Pythagoræ filias* agnoſcit *Clemens Alexandrinus*, *Myiam* & *Arignoten*. *Duas* ſimiliter Auctor alius apud *Photium* Anonymus. Hoc tamen *diſcrimine*, quòd quam *Arignoten* appellaverit *Clemens*, hanc *Saram* ille appellârit Anonymus. Acutè admodum *Æſaram* legendum è *Stobæo* collegit Cl. *Bentleius*. Et tamen *Arignoten* agnoſcunt *Harpocration* & *Suidas*. Potuit ergo *Arignote* à *Crotonis* fluvio *Æſaro* cognomen etiam *Æſaræ* traxiſſe. Utcunque tamen *plures* duabus *Pythagoræ Philoſophi filias* nemo recenſet, quod quidem ſciam, inter quas locus fuerit *Damoni* nullus. Seorſim *Damo*, nec aliâ aliquâ accenſitâ ſorore *Pythagoræ filia* fuiſſe dicitur. Plane quaſi *alterius Pythagoræ* filia quàm *Philoſophi*, cum tamen attributa fuerit propter *Patris nomen* commune cum *Philoſopho*.

Clem. Alex. Str. IV.

Bentl. in *Boyl.* p. 382.

Harpocr. Εὐοῖ.

Suid. Ἀ*ισάρα*.

8. Quicquid certè ſenſerit *Eratoſthenes*, alium tamen à *Pythagorâ* Pugile fuiſſe *Philoſophum* res ipſa loquitur. Contrà teſtimonium eſt *Heſychij*, quem plurimi facere ſolent artis *Gram-*

Alium à Pythagorâ Pugile Philoſophum f iſſe ve-

Grammaticæ conſultiſſimi. Sic ille : Ἐν Σάμῳ κομήτας. Ἔνιοι Πυθαγόρεαν τὸν σοφὸν φασὶ τὴν πυκτικὴν ἀσκῆσαι καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὴν παροιμίαν λέγεσθαι, ἉΜΑΡΤΆΝΟΝΤΕΣ. Hinc ſaltem conſtat quales habuerit in *errore* duces *Eratoſthenes*, pro illius *Scholiaſtæ* ſententiâ cujus *Scholia* hoc in loco compilavit *Heſychius*, ſi quidem in eâ fuerit ſententiâ quâ illum contendit fuiſſe Cl. *Bentleius.* Saltem ita ſenſit *Jamblichus* cujus judicium ne quidem tanti facit ipſe *Bentleius*. Hoc vidit ipſe Dominus *Bentleius*, nec ullâ tamen *Reſponſione* dignatus eſt. Addidit & aliud contra ſe Argumentum de *patre Pugilis* Pythagoræ *Crateo*, alio utique quàm qui fuerit *Philoſophi.* Huic etiam ipſe nihil aliud opponit præter nomen *Eratoſthenis.* Et tamen à matribus *Cliſthenum* diverſis *Cliſthenes* etiam diverſos colligit Dominus *Bentleius.* Nec erant profectò ſpernenda hæc quæ ſibi ipſe objecit Argumenta. Vix equidem quicquam habemus in *Pythagoreorum* diſciplinâ celebrius *puris* illorum ab *animalium cæde manibus*, & multo magis *puro* à *carnium Piaculo victu.* Id quoque celebre *dogmati* apud illos recepto de *animarum humanarum* in aliorum animalium corpora μετεμψυχώσει acceptam referendam eſſe tam ſanctam illam à *brutorum* animalium *carnibus* abſtinentiam. Inde enim factum ut *homicidij*, imo nonnunquam *Parricidij*, rei crederentur *brutorum* animalium *interfectores*. Inde factum ut ne quidem

risimillimum eſt. *Carnium* eſus apud *Pythagoreos* ſerò receptus.

Bentl. in *Boyl.* p. 53.

Pag. 88.

quidem *Deorum* cultu *Sacrificia* cruenta probârit ipſe *Pythagoras*, probârint *Pythagoræi.* Eadem fecit opinio ut *Apollinis* genitoris in *Delo* ara *Pythagoræ* ipſi fuerit imprimis cara, quòd fuerit ἀναίμακτος, ab *animalium* nempe *cæde* pura atque incruenta. Mitto quæ habet, ipſius *Pythagoræ* Perſonâ, in hanc ſententiam, *Ovidius.* Mitto quæ juſtis de hoc Argumento Operibus tradiderunt *Plutarchus* & *Porphyrius*, viri profectò *Philoſophiæ* veteris univerſæ peritiſſimi, eoque nomine, pro ſuo cujuſque Seculo, celeberrimi. Et tamen, ſi *Gellium* audiamus, contrarium docuit idem ille *Pythagoras Philoſophus*, qui *teſtes* ſententiæ adeo fidem ſuperantis adducit *Ariſtoxenum Peripateticum Ariſtotelis Diſcipulum*, ipſumque *Ariſtotelem Ariſtoxeni Magiſtrum*, imo *Comicum* etiam Alexidem : " *Porculis* (inquit) minuſculis, " & hœdis tenerioribus victitâſſe *Ariſtoxenus* " refert. Quam rem videtur cognoviſſe " ex *Xenophilo Pythagorico* familiari ſuo, & " ex quibuſdam aliis natu majoribus, qui " ab ætate *Pythagoræ* haud multum aberant. " Ac de animalibus *Alexis* etiam Poëta in " Comœdiâ quæ *Pythagoræ* vita inſcribitur, " docet. —— Poſtea : *Plutarchus* quoque " homo in diſciplinis gravi auctoritate in " primo Librorum quos de *Homero* compoſuit, *Ariſtotelem* Philoſophum ſcripſit " eadem ipſa de *Pythagoricis* ſcripſiſſe quòd " non abſtinuerunt edendis animalibus, niſi " paucâ

Ovid. Metam. L. XV.

Gel. Noct. Att. L. IV. c. 11.

" paucâ carne quâdam. Verba ipſa *Plu-*
" *tarchi*, quoniam res inopinata eſt, ſub-
" ſcripſi: Ἀριστοτέλης δὲ μήτρας, καὶ καρδίας,
" καὶ ἀκαλύφης, καὶ τοιούτων ἄλλων ἀπέχεσθαι φησὶ
" τοὺς Πυθαγορικούς· χρῆσθαι δὲ τοῖς ἄλλοις.
" Ἀκαλύφη autem eſt animal marinum, quod
" urtica appellatur. Sed & piſcibus non-
" nullis abſtinere *Pythagoricos Plutarchus* in
" *Sympoſiacis* dicit." —— Fieri non poteſt ut mos ille *abſtinendi* à *carne animalium* cœperit poſt tempora *Ariſtoxeni*. Amicus enim illius *Xenophilus* ultimis Scholæ Pythagoricæ *ſucceſſoribus* ſolet accenſeri. Imo ab *ipſo* Sectæ Magiſtro *Pythagorâ Philoſopho* emanaſſe tam facta illius quàm *dogmata* oſtendunt, ſi quid ſani complectatur illius *Hiſtoria*. His certè *Ariſtoxeni* & *Xenophili* temporibus antiquiora habemus *vetiti* apud *Pythagoræos* victûs *carnei* teſtimonia. Ita *Ariſtophanes* in Πυθαγορέοις, quo loco dicit pro ſolatio Paupertatis quæſitum fuiſſe *Pythagoræis* illum *Abſtinentiæ* prætextum, ſic deinde infit:

Ἐπεὶ παράθες αὐτοῖς ἰχθῦς ἢ κρέας
Κἂν μὴ κατεσθίωσι καὶ τοὺς δακτύλους,
Ἐθέλω κρέμασθαι δεκάκις.

Ap. *Athen.* Deipnoſ. L. 4. c. 17. p. 161. F.

Hæc ille de *Pythagoræis* vetuſtiſſimis, quos ille τοὺς πάλαι Πυθαγοριστὰς appellat. Tum quoque fortaſſis innuens à *ſeveritate* Diſciplinæ veteris *diſceſſiſſe* novos ejuſdem Sectæ, ſibique *coævos* aſſeclas. *Antiquius* hoc eſt Myſteriis

Myſteriis *Pythagoræorum* à *Philolao* & *Platone* vulgatis teſtimonium. Quale item illud eſt *Empedoclis* de *Homicidij* Piaculo admiſſo in cæde *Animalium.* Imo etiam *Parricidij :*

Ap. *Plutarch.* de Superſt. p. 171. C.

Μορφὴν δ᾽ ἀλλάξαντα πατὴρ φίλον υἱὸν ἀείρας
Σφάζει, ἐπευχόμενος μέγα νήπιος.

Hinc ergo item diſcimus qualis fuerit *vetuſtiorum* Xenophilo *Pythagoræorum* opinio de *cæde* brutorum *Animalium* quæ illos tam à *cæde*, quàm à *victu* illorum animalium prohiberit. Primus enim erat *Empedocles*, qui *Pythagoræorum* Myſteria, etiam ante *Philolaum*, prodiderit, effeceritque ne etiam *Exteros* lateret eorundem de *Animalium cæde* ſententia. Hoc nos docet *Neanthes Cyzicenus*, *Pythagoricos* omnes *arcanorum* dogmatum fuiſſe participes uſque ad *Philolaum* & *Empedoclem*, *Empedoclis* autem *exemplo* cautiores effectos *legem* tuliſſe, μηδενὶ μεταδώσειν ἐποποιῷ. *Primo* quidem *loco* fateor memorari *Philolaum*. Quæ cauſa fortaſſe fuerit cur alibi neminem *Philolao* antiquiorem agnoverit *Laertius* ipſe *Pythagoricorum Myſteriorum* proditorem. Sed ipſa ætas *Empedoclis* eum *Philolao Platonis coævo* antiquiorem evincit. Et forma ipſa *Legis* de *Arcani* diſciplinâ deinceps *arctiori* docet Poëtam fuiſſe qui *Legis* in *futurum* ferendæ primus *occaſionem* dederit, qualem *Empedoclem* fuiſſe manifeſtum eſt, non autem *Philolaum*. Sed

Ap. *Laert.* VIII. 55.

laxiores

laxiores in hac tam *ſancta*, uti credebatur, *diſciplinâ*, *juniores*; qui demum, quaſi è poſtliminio, Sectam demortuam reſtaurârint, docet *Plutarchus* aſtipulante etiam *Athenæo*. *Plutarch.* De *ſui* temporis *Pythagoræis* ambo intelligendi Symp. ſunt. L. VIII. Ait ergo *Plutarchus*, cibis in commu- Qu. VIII. nibus Epulis interdictos, (ſic enim intelligo *Athen.* Deipnoſ. L. verba: πλήθει ἐπιχεομένῳ καθειργομένους) VII. c. 16. & Oraculo *Delphico* admonitos, quo jube- p. 308. D. bantur *frugibus* parcere, exinde *ſolutiori* uſos *diſciplinâ*, ut *carnium* uſum cum aliis *communem* haberent, exceptis *quibuſdam* animalium *terreſtrium* partibus, & *piſcium* uſu in univerſum apud illos etiamnum *interdicto*. Tempus etiam, fortaſſe, quo *cœperit* hæc inter *Pythagoræos* invicem diſcordia, indicat idem, ni fallor, ibidem *Plutarchus*. A *Moderato* ſcilicet *Gaditano*, cujus de Vitâ *Pythagoræ* Libros advocat *Porphyrius*, & *Alexicrate* itidem, ut videtur, *Pythagoræo*. *Moderati* diſcipulum *Lucium* Quæſt. VII. colloquio adfuiſſe teſtatur. Et *Alexicratis* τῶ καθ' ἡμᾶς diſcipulos à ſe conventos agnoſcit *Empedocles* Plutarchi *Sympoſiacis* coævus ad *ultimam Plutarchi ætatem* referendos. Se enim annis *provectum* indicat hoc Opere *Plutarchus*, & filios *adultos*. Opus ipſum inſcribit *Seſſio Senecioni Trajani* gratiâ florenti. Memoratque in eo *Phavorinum*, qui floruit ſub *Hadriano* potiſſimum, ſic tamen ut *Antonini Pij* Imperium *affectum* attigerit, quo illum ſæpe diſſerentem audivit *Gellius*. Memorat etiam

Herodem. Atticum, ut videtur, quem ſæpe vidit *Athenis* audivitque *Gellius*, tum *Conſularem*. Sub *Nervâ* theſaurum reperiſſe dicitur *Nicetas Herodis* pater. Idem adhuc erat in honore *Nicetas* Martyrium patiente *Polycarpo*, qui *Trajani* Imperio, ad *exitum* vergente, paſſus eſt. Anno *Ær.* noſtræ *Chriſtianæ* CXLIII. *Coſ.* erat *Herodes*. Tum nempe munere defunctus quo *Marci Veri*que ſtudiis præfectus eſt. Etiam *Marci* tempora attigit, ut ex *Inſcriptione* colligimus & *Pauſaniâ*. Sed *Romæ* fuit, ut videtur, *Herodes* cum illius mentionem faceret *Plutarchus*, necdum *Principum* inſtitutioni præfectus. Hæ certe notæ *Trajani* finem vel *Hadriani* initium deſignare videntur quo fuerint proinde *Pythagoræorum* novæ Sectæ *diſcipuli*. Et *primo* adeo *Chriſtianæ Æræ* Seculo vixerint oportet *Moderatus* & *Alexicrates*, novæ Sectæ *Magiſtri*. Tunc ergo prodierint quæ Sectæ *novæ* occaſionem dederint *Delphica* Oracula. Sic tamen ut non niſi pedetentim obtinuerint. Primo quidem ut in *Sacrificiis* animalium uſum admitterent; tum ut in *Epulis Sacrificalibus* animalium mactatorum *carne*, pro more veſcerentur, denique ut in *privatorum* hominum *conviviis* hanc ſibi licentiam permiſerint, ut, pro *convivarum* arbitratu, victum caperent. Sed *rarò* imprimis, & *parce*, & carnium *diſcrimine* obſervato, quòd manifeſta eſſet à *deceſſorum* præceptis *diſceſſio*. Ita *diviſos* invicem *Pythagoræos* è *Plutarcho* diſcimus.

cimus. Abſtinebat enim adhuc ab animalium carne *Philinus* amicus *Plutarchi*, cum tamen convivij *libertate* communi, pro *novatorum* ſententiâ uteretur *Lucius* diſcipulus *Moderati*. Quod ergo timidè *Novatores* feciſſe diximus, id aliquâ deceſſorum *Auctoritate* muniendum exiſtimabant, ut vel *timidè* admitterent. Inde teſtimonia illa quæſita *Ariſtoxeni Peripatetici*, ipſiuſque *Ariſtoxeni* Magiſtri *Ariſtotelis*. Quæ tamen non ſufficiebant quin pro *novatoribus* haberentur *timidi* illi *animalium* convivatores.

Veterum certè *Pythagoræorum*, quos παλαιοὺς appellat, aliam fuiſſe ſententiam agnoſcit ipſe 9.
Plutarchus. En verba: Πάρεσι δὲ τῶν τε λόγων καὶ τῶν ἱερῶν εἰκάζειν τοῖς ΠΑΛΑΙΔΙΣ, ὡς οὐ μόνον ἐδωδὴν, ἀλλὰ καὶ φόνον ζώου μὴ βλάπτοντος, ἔργον ἐναγὲς καὶ ἄθεσμον ἐποιοῦντο. Sic ille Symp. VIII. Quæſt. VIII. Λόγων nomine atque ἱερῶν *veterum Pythagoræorum* tam *dogmata*, complectitur quàm *Sacrificia*, quæ adeo *utraque* aliena ſupponit ab his *juniorum* moribus. *Veteres* nimirum ab *omnium* animalium *eſu* abhorruiſſe docet, ut ne quidem *cædem* animalium quorumcunque *non nocentium* probârint. Imo illam pro *Piaculari* habuerint. Tantum aberat ut eorum *Sacrificia ſancta*, aut *ſanctimoniæ*, quam ipſi profitebantur, conſentanea exiſtimârint. Et tamen *quædam* animalia *ſacrificaſſe* juniores docent tam *Plutarchus* quam etiam *Athenæus*. Sic tamen ipſi ut *Piſces* tamen *univerſos*

Auctor *carnium* edendarum apud *juniores Pythagoræos*, vetuſtior ferebatur, *Philoſopho* tamen junior, *Pythagoras Eratoclis* filius, origine *Tyrrhenus*, quem tamen falſo cum *Philoſopho* eundem exiſtimabant.

tam à *Sacrificiis* quam ab *epulis* exemerint. *Piſces* autem διὰ τὸ μὴ ὁμόφυλον excepiſſe dicit. Quaſi verò *ſæviores* eſſe docuerit in ὁμοφύλυς quàm ἀλλοφύλυς. Hoc certè alieniſſimum à *ſanctiſſimis* innocentiſſimiſque veterum *Pythagoræorum* moribus oſtendit *Plutarchus*, ut verè fuiſſent *piſces* hominibus ἀλλόφυλοι. Sed ὁμοφύλυς *piſces* agnoſcebant qui *Humanarum Animarum* etiam in *Piſces* μετεμψύχωσιν aſſerebant. Et in eâ ſententiâ ipſum fuiſſe *Pythagoram* Sectæ univerſæ Magiſtrum *Plutarchus* obſervavit. Huc refert capturam *piſcium* à *Pythagorâ* redemptorum hoc ſolo fine, ut redemptis à ſe piſcibus *libertatem* indulgeret, Οὐχ' ὡς ἀλλοφύλων ᾗ πολεμίων (inquit) ἀμελήσαντα τῶν ἰχθύων, ἀλλ' ὡς ὑπὲρ φίλων ᾗ οἰκείων γεγονότων αἰχμαλώτων λύτρα καταβαλόντα. Hæc itaque tantopere à verâ *Pythagoræ Philoſophi* ſententiâ diſcrepantia, ab aliquâ proinde Auctoritate commendanda erant *Sectæ* in quâ *Magiſtri* Αὐτὸς ἔφα inſtar omnium erat Argumentorum. Huc illa ſpectabant *Oracula* quæ è tripode *Delphicâ* emanabant. Par enim *Pythio Apollini* apud ſuos credebatur *Philoſophus*, Humanâ omni Auctoritate major. Imo *Pythij Apollinis filius*, à quo *nomen* illum nonnulli credunt traxiſſe *Pythagoræ*. Imo idem cum *Apolline Hyperboreo* credi volebat, ſi quidem verâ ſunt quæ de *femore* ejus *aureo* fabulantur, quod *Abaridi* monſtrârit *Apollinis Hyperborei* ſacerdoti, quale ſcilicet in numine ſuo *patrio* coluerat

coluerat ipſe *Abaris.* Ita *Pythagoræ* vicem ipſe obtinuerit Oraculi Auctor *Apollo* qui id tantum præcipiebatur, ut *frugibus* parcerent, τοῖς καρποῖς ἀρήγειν φθειρομένοις. De *animalium* Sacrificiis *frugum* loco ſufficiendis contra receptas majorum ab ipſis *Pythagoræ* temporibus conſuetudines, nihil *apertè* præcipiebat *Oraculum.* Hoc ſuis duntaxat debebant *ratiociniis* è receptis vulgo *Sacrificiis* ſupplendum fuiſſe quod deerat è *frugibus* quibus parcebatur. Hæc cauſa erat cur *novam* illam & *veteribus* Sectæ præſidibus incognitam conſuetudinem παρεπόμενοι καὶ δαιμαίνοντες introduxerint, ne forte mentem *Pythij* non eſſent aſſecuti, nec verbis *expreſſis* id *præcipientem* quod ipſi auſi fuerant, nec majorum *Traditionibus* conſentaneam, nec Sectæ univerſæ *ſuffragiis* munitam. Ergo quod *Pythius* non ſatis clarè præceperat, id *Pythagoræ* nomine approbandum erat, *alterius* quidem à *Philoſopho* qui tam *diſſentanea* præceperit à *Philoſopho*, quem tamen ipſi *neglecturi* fuerint niſi *eundem* crediſiſſent cum *Philoſopho.* Huc ergo avidè traducta quæ apud *Ariſtoxenum* Muſicum *Peripateticum* legebantur ex Traditione *Xenophili* celebris in Scholâ *Pythagoreâ* Magiſtri, eum ſcilicet *porculis minuſculis* & *hædis tenerioribus* victitâſſe. Ergo cum *alius* fuerit à *Philoſopho,* & tamen *idem* haberetur cum *Philoſopho* qui alia *ſenſerit* à *Philoſopho*; non aliò rectiùs, ut opinor, hæc retulerimus quàm ad *Aliptem Pythagoram*

Pythagoræ Philoſophi diſcipulum, de quo ita
Jamblich. Vit. Pyth. c.V. p.40. ſcribit *Jamblichus* : μόνος Σαμίων συναπῆρε Πυθαγόρᾳ ὁμώνυμος ὢν αὐτῷ, Ἐρατοκλέους ὁ υἱός. Τούτου δὴ καὶ τὰ ἀλειπτικὰ συγγράμματα φέρεται, καὶ ἡ ἀντὶ ἰσχάδων τοῖς τότε ἀθληταῖς κρεώδους τροφῆς, οὐ καλῶς εἰς Πυθαγόραν τοῦ Μνησάρχου τούτων ἀναφερομένων. Fuerit ille eadem cum Philoſopho *patriâ*, alium tamen ipſum à *Philoſopho* fuiſſe neceſſe eſt qui *alium* habuit à Philoſopho *patrem*, non *Mneſarchum*, ſed *Eratoclem*. Eundem, ni fallor, cum *Ergaſtocle*, vel *Eraſtocle*, vel *Eratocle* (ſic enim variè ſcribi monet Cl. *Meibomius*) cujus meminit hic
Ariſtox. Harmonic. Elem. p. 5, &c. idem *Ariſtoxenus*, teſtis *Traditionis* de *comeſis* à *Pythagorâ animalibus*. *Muſicum* fuiſſe *Eratoclem* ex hoc ipſo conſtat *Ariſtoxeni* teſtimonio. Et quidem ita ut de *proportionibus Muſicis* diſputârit. Has autem à *Pythagorâ Philoſopho* inventas eſſe docemur ex auditis fabri ferrarij in incudem plagis. Inde præterea colligemus *Pythagoræ Philoſophi* diſcipulum ipſum quoque fuiſſe *Eratoclem*, junioremque adeo *Philoſopho* filium *Eratoclis* fuiſſe *Pythagoram*. Idque ſane innuit *Jamblichus* tum νεανίαν fuiſſe *Pythagoram Eratoclis* cum in *Italiam* diſcederet *Philoſophus*. Ita propinquior vixerit memoriæ *Xenophili* atque *Ariſtoxeni*. *Tyrrhenum* ergo hunc *Pythagoram* exiſtimant quorum è ſententiâ loquitur *Plu-*
Symp. VIII. Qu. VII. *tarchus* : Οὐ πατρόθεν, ὥσπερ ἕτεροί τινες, ἀλλ' αὐτὸν ἐν Τυῤῥηνίᾳ καὶ γεγενῆσθαι, καὶ τετράφθαι καὶ πεπαιδεῦσθαι τὸν Πυθαγόραν. Hic

etiam

etiam *Ariſtoxeni* veſtigia habemus. Sententiæ enim quæ *Pythagoram Tyrrhenum* fecerit, Auctorem *Ariſtoxenum* agnoſcunt primum *Veteres*, quæ ſcilicet *idem* aſſerentibus *Ariſtarcho* atque *Theopompo* præiverit. Inde colligimus hunc ipſum fuiſſe *Pythagoram* quem victûs ex *animalibus* Auctorem fecerat *Ariſtoxenus*. Hoc tamen ipſum de *Philoſopho* probare difficile cenſuit *Theo* Grammaticus. Verba ſunt *Plutarchi* : Θέων ὁ Γραμματικὸς εἶπεν· ὅτι Τυῤῥηνὸν μὲν ἀποδεῖξαι μέγα ἔργον, ἔργον εἴη, καὶ οὐ ῥᾴδιον. Duæ enim erant, apud hos ipſos *Pythagoræos Xenophili Ariſtoxeni*que ſequaces, de hâc *Pythagoræ* patriâ ſententiæ : Alia illum πατρόθεν *Tyrrhenum* exiſtimavit, quòd ſcilicet *patrem* illius *Eratoclem Tyrrheniâ* ortum filium *Pythagoram* alibi ſuſcepiſſe crediderint. His aſtipulari videtur *Jamblichus*, qui *minorem* hunc *Pythagoram* Philoſophi *comitem* è *Samo* cenſet. Alia illum in *Tyrrheniâ natum*, enutritum, educatumque cenſebat. Harum ergo ſententiarum utra *verior* eſſet ex *Ariſtoxeni* teſtimonio *Tyrrhenum* tantummodo appellantis non conſtabat. Inde factum ut ad Argumenta à *re* ipsâ petita confugerent cum de *Teſtimonij* ſententiâ ambigeretur. *Symbolorum* nempe veſtigia in *Tyrrhenorum* moribus receptis repererant alibi non reperta. Sed ex *Ægyptiorum* moribus deſumpta à *Pythagorâ Symbola* idem obſervavit *Plutarchus* aliique. *Utrinque* autem *ortum* ha-

Symp. VIII. Qu. VIII.

buiſſe unum eundemque *Philoſophum*, non eſt agnoſcendum. *Tyrrhenum* tamen ſaltem *ortu paterno* juniorem illum *Eratoclis* filium *Pythagoram* potuit *certò* ſcire qui *Eratoclem* advocat *Ariſtoxenus*, vel Præceptor *Ariſtoxeni Xenophilus*. Hinc tamen *alius* à *Philoſopho* fuiſſe vincitur qui fuerit *aliâ* quàm *Philo-*
Laert. VIII.12. *ſophus*, *patriâ*. Hic ergo erat qui *Eurymenem*
Nat Hiſt. *Olympionicen* inſtituit, ut è *Phavorino* Philo-
XXIII.7. ſopho aliiſque docet *Laertius*. Nempe *Pythagoras Exercitator*, ut à *Plinio* appellatur. Hoc ipſo nempe *conſilio*, ut illum à *Philoſopho* ſecerneret. Perperam ergo *Eratoſthenis Pythagoram* pro *Philoſopho* habet Cl. *Bentleius*, ex eodem teſtimonio apud *Laertium Phavorini*. Longe proclivius erat ut cum *Alipte Athletam* confunderet *Eratoſthenes* quàm ut alterutrum *eundem* crederet cum *Philoſopho*. Ægrè certè Sectam *Pythagoricam* vel *profiteri* potuit hic *Pythagoras* ſi rectè *Ariſtoxeni* ſen-
Laert. VIII.20. tentiam repræſentârit *Laertius*, cum animalium *omnium* eſum ab eo permiſſum tradit, *bove* duntaxat *aratore* & *ariete* exceptis. Manifeſta ſatis in his tribus *trium Pythagorarum* indicia habemus: alterius qui ipſe fuerit *Pugil* atque *Olympionices*, alterius qui non *ipſe* fuerit *Athleta*, arte tamen ſaltem *Athleticâ Eurymenem Olympionicen* inſtituerit; tertij denique qui ne quidem *agones* victoriæ causâ ſuſceptos *probârit*, ſed *corporis* duntaxat *exercendi*. Hanc certè *ultimam* ſententiam fuiſſe *Pythagoræ Philoſophi* docet *Porphyrius*:

phyrius : Καίτοιγε περιϊὼν τῇ σοφίᾳ ὁ Πυθαγόρας ἀθλεῖν μὲν παρῄνει νικᾷν δὲ μή· ὡς δέον τὰς μὲν πόνους ὑπομένειν, τοὺς δ᾽ ἐκ τοῦ νικᾷν φθόνους φεύγειν. Saltem inde colligimus, conſtitutâ *Pythagoræ* diſciplinâ, non eſſe cur expectemus in illius Scholâ *Olympionicas* aut aliorum quorumcunque ludorum *victores*. Et tamen ex hac ipsâ *Scholâ* erat *Milo Crotoniates* VI. victor *Olympiorum*, VI. *Pythiorum*, X. *Neneorum*, IX. *Iſthmiorum*. Certè illâ ipsâ *Olymp.* LXII. quo *Stadionices* erat *Eryxias*, vicit etiam *Milo*, quo volunt multi in *Italiam* veniſſe *Pythagoram*. Etiam *corollis Olympicis* decoratus vicit *Crotoniatas Olymp.* LXVII. 3. quod alienum erat ab illâ *Pythagoræorum* diſciplinâ. Ita *Diodorus*. Nondum ergo *Crotone* Scholam conſtituerat *Pythagoras Philoſophus*. Etiam *Olymp.* LXXI. vicit *Olympia Empedocles*, ut ne tum quidem diſciplinam fixerit in *Siciliâ*. Ambo cum noſtris *Pythagoræ* rationibus paulo *ſerioribus* magis, quàm cum Adverſariorum *antiquioribus* conveniunt.

Porph. Vit. *Pythag.* p. 186.

Diodor. Olymp. LXXXIII. 3. Lib. XII.

Hoc tamen obiter. Alia enim oſtendunt novaturientes illi *juniores Pythagoræi* quibus mores *ſuos* à Præceptoris ſui *diſciplinâ* minus abhorrere conficiant. *Ariſtoteles* paucorum duntaxat animalium *partibus* tantummodo *quibuſdam* abſtinuiſſe teſtis eſſe dicitur, χρῆσθαι δὲ τοῖς ἄλλοις. Ita ſententiam *Ariſtotelis* è *Plutarchi* Libro, qui intercidit, de *Homero* repræſentavit *Gellius*. Utinam verba *Ariſtotelis* 10.

Animalium nonnullorum partes nonnullæ propter *Myſticas* rationes *Pythagoræis* interdictæ. Non quaſi *alio-*

rum animalium partes omnes, eorundémve alia fuiſſe conceſſa.

Ariſtot. ap. Laert. VIII. 19.

telis ipſa haberemus. Ita conſtaret num verba illa χρῆσθαι ἢ τοῖς ἄλλοις *Ariſtotelis fuiſſent*, an è *Plutarchi*, juniorumque *Pythagoræorum*, nata *ratiociniis*. Poterat enim *Pythagoras* & *partes* illas certorum *animalium* vetuiſſe, propter *Myſticam* aliquam rationem illorum animalium, illarumque partium, propriam; nec reliqua proinde *animalia omnia*, eorundemve animalium *partes alias*, propterea indulſiſſe, propter communem omnibus animalibus *humanarum animarum*, quam credebant, μετεμψύχωσιν. *Mores* animalium *Humano generi* incommodos ſub illis *animalium partiúmve* Symbolis interdictos jure *gentium* receptum eſt. Sic vetita *Judæis* animalia intellexere qui è ſimilibus *aliarum gentium* exemplis de *Judæorum* moribus argumentabantur. Nec, ut videtur, abſurdé. Et tamen præter *morum* vitia animalium *Symbolis* obducta, *Symbola* ipſa *Judæis* interdicta eſſe conſtat. Erant enim vetuſtiſſimorum *Sapientum* Præceptiones pleræque *Symbolicæ*, ut fusè docuit
Στρωμ.
Clemens Alexandrinus. Pro more tunc receptiſſimo, cum *Proverbiis* & *Ænigmatibus* arcana *Sapientiæ* traderentur. Erant præterea nonnulla hujus generis *interdicta*, non ob *culpam* aliquam *animalis*, cujus *Symbolum* adhibebatur, ſed ad memoriam *Hiſtoriæ* alicujus *Sacræ* & *arcanæ*; ſeu gentium *numina* ſpectarent, ſeu *conditores* quorum *memoriam* apud poſteros *ſacram* eſſe volebant.

Sic

Sic emarceſcente *Jacobi femore* cum *Angelo* luctantis, *pars* illa *femoris* in *aliis* omnibus, quæ *Legis* permiſſu in victum cedebant, *animalibus* vetabatur, *ratione* tamen *Interdicti* ab humano *Jacobi femore* petitâ. Similia erant apud *Ægyptios* interdicta in memoriam Belli *Oſiridis*, & *Ori* poſtea cum *Typhone*, propter *fabulas* quæ *Deorum* ipſorum aut *Typhonis* latebras in *animalibus* comminiſcebantur. Similia apud *Græcos* propter prælia *Jovis* cum *Typhoeo* aut *Encelado*, quo *Dii animalium formas* induiſſe credebantur. Similia apud *Syros* in fabulis de *Dagone*, *Derceto*, *Atergatide piſcibus*, & *columbâ Semiramidis*. Quanquam autem ad ſpeciem *animalium Symbolicorum* univerſam transferri ſolerent undecunque ex *Hiſtoriâ* gentis cujuſque *Sacrâ* petitæ *rationes*, ut unà *animalium* ipſorum *eſus* præciperetur ſeu vetaretur, cum alia nulla ratio obſtaret quo minùs *ratio Præcepti* à *Symbolo* ad *animal* ipſum transferretur; cum verò legem haberent *Pythagoræi* quæ *animalium omnium* uſum Sectæ interdixerit, nihil tamen interea vetabat quo minùs uſum *Symbolorum* ab *animalibus* petitorum adhiberent in *Sacris* ſaltem *Præceptionibus*. Exemplum habemus in S. *Petri* Apoſtoli Viſione de *gentium* admiſſione in *Peculium* ſine *Circumciſione*, ſub *animalium impurorum* Symbolis quæ *pura* Deus ipſe pronunciârit, cum tamen animalium *mundorum immundorúmque* diſcrimen apud *Chriſtianos* nullum

lum futurum eſſet. Imo *Apoſtolo jejuno* Viſio oblata eſt, & ſub *comeſtionis* Symbolo, cum tamen de *manducatione* corporeâ nihil præceperit *Spiritus Sanctus*. Ægrè alioqui laturus erat, ſi id *voluiſſet*, quòd animalia illa *immunda* jejunus *Apoſtolus non comederit*. *Tentandi* ergo, non *Præcipiendi*, conſilio monebat Apoſtolum Spiritus de *animalibus immundis* mactandis atque comedendis, utcunque *formam* eam adhibuerit quæ *Præcipienti* magis conſentanea videatur. Vera autem *Præcepti* vis ad ſenſum Præcepti *Myſticum*, non *Grammaticum*, referenda eſt, ne ſcilicet *Gentiles præputiatos* pro *immundis* haberet quos *Deus* ſe pro *mundis* habiturum eſſe docebat. Sic itaque *Pythagoræ Symbola* de μήτρᾳ, καρδίᾳ, ἀκαλύφῃ vel ἀκαλήφῃ intelligenda erant ut *res* Symbolis *ſignificatas*, non autem *Symbola ipſa*, præceperit *Philoſophus*. Malè ergo ad *animalia*, animaliúmve *partes* retulit ſeu *Ariſtoteles* ipſe, ſeu *Plutarchus*, ſeu potiùs fortaſſe coævi Plutarcho *Pythagoræi*, quos à *receptis* ſuæ moribus, dum vigeret Sectæ *ſucceſſio*, diſceſſiſſe probavimus. Imo *Symbolorum* ſuorum veram ſententiam *exteros* latere voluit ipſe *Pythagoras*, quæ cauſa vera fuiſſe videtur cur *Symbolis* potiùs, quàm *verbis* apertis, ea præceperit Magiſter Sectæ *Pythagoras*. Non eſt ergo cur *veram* Symbolorum *ſententiam* aſſecutum credamus *Ariſtotelem*, cum hoc ipſo fine *Symbola* à *Pythagorâ* excogitata fuiſſe manifeſtum ſit,

ne

ne Sectæ *exteris* ea patefierent quæ noluit ipſe ab aliis intelligi præterquam ab admiſſionis *intimæ* Diſcipulis. Perperam ergo ex his *Symbolis* collegerunt *Pythagorâ* juniores, quæ fuiſſet *Præceptoris* ſententia de *animalium* quorumcunque carnibus *comedendis.* Juniores non moramur idem ex *alienâ fide* referentes.

II. *Hecatombæ veterum Pythagoræorum non animalium erant, sed fartorum coctilium.*

Sed aliunde colligit *Athenæus* hanc eandem de *Pythagorâ* ſententiam. Ἀπολλόδωρος δ᾽ ἐστί, inquit, ὁ Ἀριθμητικὸς, καὶ θῦσαι φησὶν αὐτὸν ἑκατόμβην, ἐπὶ τῷ εὑρηκέναι ὅτι τριγώνου ὀρθογωνίου ἡ τὴν ὀρθὴν γωνίαν ὑποτείνουσα ἴσον δύναται ταῖς περιεχούσαις.

Ἡνίκα Πυθαγόρης τὸ περικλεὲς εὕρετο γράμμα
Κλεινὸς, ἐφ᾽ ᾧ κλεινὴν ἤγαγε βουθυσίην.

Alius ergo *Aliptes* ille *Pythagoras* qui Animalium *eſum* indulſit à *Pythagorâ Philoſopho.*

[1] Hæc ideo addidit ut rectè *Ariſtoxenum* Philoſophi *Pythagoræ* ſententiam intellexiſſe probaret. Proinde de *cruentis* animalium *ſacrificiis* intelligendus. Eadem fere [2] *Laertius* atque [3] *Plutarchus*, atque ante utrumque [4] *Vitruvius*, & [5] *Cicero.* Sed de *Thalete* idem tradidit *Pamphile*, eodem agnoſcente [6] *Laertio.* Hæc ſi veriora, non erit neceſſe ut Sacrificia *animalium* cruenta *Pythagoræ* imputemus. Erant enim certe ejuſdem *Sacrificia* à *Pythagoræ* dogmatibus alieniſſima.

[1] *Athen.* Deipnoſ. X. 4.
[2] *Laert.* VIII. 12.
[3] *Plutarch.* Ne ſuav. viv. poſſe ſecund. ſent. Ep.
[4] *Vitruv.* Arch. L. IX. c. 2.
[5] *Cicer.* III. Nat. Deor.
[6] *Laert.* I. 24.

[7] *Laer-*

Laert. VIII. 20. [7] *Laertius*: Μαντικῇ τε ἐχρῆτο τῇ διὰ τῶν κληδόνων τε καὶ οἰωνῶν· ἥκιστα δὲ διὰ τῶν ἐμπύρων, ἔξω τῆς διὰ λιβάνου. Θυσίαις τε ἐχρῆτο

Ap.Laert. VIII. 37. [8] ΑΨΥΧΟΙΣ. [8] *Mneſimachus* Alcmæone:

Ὡς Πυθαγορειστὶ θύομεν τῷ Λοξίᾳ,
Ἔμψυχον οὐδὲν ἐσθίοντες παντελῶς.

Mediæ ætatis fuiſſe hunc *Comicum* teſtatur

Athen. L.IX. c.9. tam [9] *Athenæus* quàm ex eo *Suidas*. Eo magis audiendus de *Veteris Sectæ* moribus quàm *juniores* etiam *Pythagorai*. Nec ſane qualis obtulerint in *Templis* publicis *Sacrificia* latere potuit Sectæ etiam *extraneos*. *Porphy-*

Porph. de Abſtin. L.II. c.36. *rius* Opere Elaboratiſſimo: Φησὶ δὲ ἔμψυχον οὐδὲν θύειν μηδὲ ἕν, ἀλλ' ἄχρις ἀλφίτων, καὶ μέλιτος, καὶ τῶν ἐκ γῆς ἀκροδρύων, τῶν τε ἄλλων ἀπάρχεσθαι. Μὴ δὲ ἀφ' ἡμαγμένης ἐσχάρας ἔσω τὸ πῦρ, καὶ ἴσα φησὶν ἐκεῖνος. Τί γὰρ δεῖ μεταγράφειν ταῦτα; De Vitâ *Pythagoræ*:

P. 196. Θύων τε θεοῖς ἀνεπαχθὴς ἦν, ἀλφίτοις τε, καὶ ποπάνῳ, καὶ λιβανωτῷ, καὶ μύρρᾳ τοὺς θεοὺς ἐξιλασκόμενος, ἐμψύχοις δ' ἥκιστα. Quàm aliena quæ ſequuntur: Πλὴν εἰ μή ποτε ἀλεκτορίσιν, καὶ τῶν χοίρων τοῖς ἁπαλωτάτοις; Opponimus ei teſtem *Eudoxum* ab ipſo advocatum, melioremque certè de veterum *Pythagoræorum* moribus teſtem quàm fuerit

Ap. *Porph.* Vit. *Pyth.* p. 183. ipſe *Porphyrius*. Sic ille: Τοσαύτῃ γε ἁγνείᾳ, φησὶν Εὔδοξος, ἐν τῇ ἑβδόμῃ τῆς γῆς περιόδῳ, κεχρῆσθαι, καὶ τῇ περὶ τοὺς φόνους φυγῇ καὶ τῶν φονευόντων, ὡς μὴ μόνον τῶν ἐμψύχων ἀπέχεσθαι,

ἀλλὰ

ἀλλὰ ϰ̀ μαγείροις ϰ̀ θηράτορσι μηδέποτε πλησιάζειν. Par erat hic ipſi *Platoni*, majorque *Ariſtotele*, omnibuſque anteponendus teſtibus de *probato* animalium *victu* à *Pythagora*. Nedum *junioribus Pythagoreis*. Qualia verò *ſacrificia* animalium probârit verus Sectæ inſtitutor *Pythagoras*, docet loco citato *Porphyrius* illâ ipsâ in causâ inventi à ſe Problematis Mathematici, his nimirum verbis: Ἐβουθύτησε δέ ποτε, σαίτινον, ὥς φασι, βοῦν, οἱ ἀκριβέστεροι, ἐξευρὼν τῆ ὀρθογωνίου τὴν ὑποτείνουσαν ἴσον δυναμένην ταῖς περιεχούσαις. Hanc ait ſententiam Auctorum *accuratiſſimorum* Auctor ſui Seculi doctiſſimus. Erat ergo *bos* ille *Pythagoræus* è *farinâ triticeâ* ſubactâ in *bovis* duntaxat *effigiem* formatus. E *molâ* ſcilicet, vel *libo cocto* Sacrificiis addi ſolito, unde ſumi ſolebant Sacrificiorum *farta* vel *libamina*. *Carnis* itaque aut *ſanguinis* in hoc *Sacrificio* uſus erat plane nullus, nec certè quicquam quod cum egregiâ *Pythagoræorum* ſanctimoniâ pugnare aliquatenus videretur. Talem *bovem* obtuliſſe volunt primum *Atheniensium* Regem *Cecropem*, qui tamen etiam ipſe à *ſanguine*, pariter ac *Pythagoras*, abhorruerit. Sic enim ſcribit de *Cecrope Pauſanias*: Ὁ μὲν γὰρ Δία τε ὠνόμασεν ὕπατον πρῶτος, ϰ̀ ὁπόσα ἔχει ψυχὴν, τούτων μὲν ἠξίωσεν οὐδὲν θῦσαι, πέμματα δὲ ἐπιχώρια ἐπὶ τοῦ βωμοῦ καθήγισεν, ἃ πελάνους καλοῦσιν ἔτι ϰ̀ ἐς ἡμᾶς Ἀθηναῖοι. Bos enim *Euſebio* eſt qui πέλανος *Pauſaniæ*. Ita ni *Hiſtoria* intelligatur, ſe fidem

Porph. Vit. *Pythag.* p. 196.

Euſeb. Chr. *num.* CCCCLXIII.

Pauſan. Arcad.

fidem ei non habere *Cicero* profitetur ingenuè: *Sed id quidem* (inquit) *non credo, quoniam ille ne* Apollini *quidem* Delio *hoſtiam immolare voluit, ne aram ſanguine adſpergeret.* De *unico*, fateor, *bove* loquitur *Porphyrius* à *Pythagorâ* immolato. Nec tamen *ſolus*. Βουθυσίην tantummodo dixerat in Epigrammate *Apollodorus* Arithmeticus vel Logiſticus (utroque enim modo appellatur) quâ voce boum *numerum certum* nullum deſignavit. De *unico* tamen *bove* illum, præter *Porphyrium*, interpretantur *Cicero* & *Plutarchus*. De *hoſtiis* unâ *pluribus* intellexit *Vitruvius*. Et *hecatomben* fuiſſe cenſuerunt *Laertius* & *Athenæus*. Non certè pro ſententia *Pythagoræ* qui *frugalitatem* in *Sacrificiis* probabat. Utcunque tamen *incruenta* his quoque temporibus *Pythagoræorum* fuiſſe *Sacrificia* exemplum habemus in *Empedocle*. Vicit in Olympiis ille, & pro more *Olympionicarum* ſacros Civitatum *legatos* convivio excepit Sacrificio *bovis*. Talis nimirum, qualem deſcripſimus, non *carne* videlicet aut *ſanguine* præditi. Ita apud *Laertium Phavorinus*: Ἐγὼ δὲ εὗρον ἐν τοῖς ὑπομνήμασι Φαβωρίνου, ὅτι καὶ βοῦν ἔθυσε τοῖς θεωροῖς ὁ Ἐμπεδοκλῆς ἐκ μέλιτος καὶ ἀλφίτων. Reſpondent hæc verbis *Porphyrij* ſupradictis, ἄχρις ἀλφίτων καὶ μέλιτος, in Libris de *Abſtinentiâ*. Ita autem *Empedoclem* ſacrificaſſe pro Sectæ, quam profitebatur, diſciplinâ *Pythagoreæ*, teſtis ipſe *Athenæus* eſt. Sic enim habet: Ἐμπε-

Cicer. de Nat. Deor. L. III. c. 36.

Laert. VIII. 53.

Ἐμπεδοκλῆς δ᾽ ὁ Ἀκραγαντῖνος ἵπποις Ὀλύμπια νικήσας, Πυθαγορικὸς ὤν, καὶ ἐμψύχων ἀπεχόμενος, ἐκ σμύρνης καὶ λιβανωτοῦ, καὶ τῶν πολυτελεστάτων ἀρωμάτων βοῦν ἀναπλάσας, διένειμε τοῖς εἰς τὴν πανήγυριν ἀπαντήσασιν. Oblitus eſt hæc ſe ſcripſiſſe *Athenæus* cum poſtea è *bove* quem ſacrificârit *Pythagoras* contrariam adeo Pythagoræ *ſententiam* colligeret, quaſi ſcilicet *cruenta Sacrificia* probârit. De eodem *Empedoclis* facto ita *Philoſtratus :* Καὶ ὁ ἐν Ὀλυμπίᾳ βοῦς, ὃν λέγεται πέμμα ποιησάμενος θῦσαι, τὰ Πυθαγόρου ἐπαινοῦντος εἴη ἄν. Quare *Aleipticorum* Scriptor, *Aleiptes* ipſe, *Pythagoras*, qui *animalium* nonnullorum *eſum* indulſit, quicunque demum is fuerit *alius* certè fuit à *Philoſopho.*

Athen. Deipnoſ. L. I. c. 3 p. 3. E.

Vit. *Apollon.* L. I. c. 1. p 2.

12\. Hinc autem obiter, ni fallor, notas lucrabimur, *temporis* quo in *Italiam* venerit *Pythagoras Philoſophus.* Solus enim *junior* hic *Pythagoras* fuiſſe fertur *Samiorum* qui à *Samo* ad *Italiam* uſque *Philoſophum* ſecutus fuerit. Συνεπῆρε, inquit *Jamblichus*, L. I. c. 5. p. 40. Interpreti perperam, *extolleretur.* Sed legendum συναπῆρε, & ad *ſarcinas colligendas*, aut *convaſandam ſupellectilem* referendum, pro more *itinerantium.* Hæc ſcilicet, pro eorum ſententiâ qui *Tyrrhenum* hunc *juniorem Pythagoram*, non ſuo *ortu*, quem *Sami* repererit *Philoſophus* ; ſed πατρόθεν, quòd *Etruriâ* oriundus eſſet *pater* hujus junioris *Pythagoræ Ariſtoxenei Eratocles.* In eâ

Aliptes ille *Pythagoras* juvenis erat, cum *Philoſophum, Olympiad.* LXVII. $\frac{2}{3}$. è *Samo* comitaretur in *Italiam.*

L

eâ enim ſententiâ nonnullos fuiſſe monuit, uti vidimus, *Plutarchus*. Ita unà cum *Philoſopho* venerit in *Hetruriam junior* ille *Pythagoras* πατρόθεν *Hetruſcus*. Nempe anno, pro noſtris rationibus U. C. *Varroniano* 244. qui fuerit *Philoſopho* LIX[us]. Tum *ſenium Philoſophi* & *memoriæ defectum*, τὸ γῆρας, καὶ τὴν τούτου ἀμνημοσύνην, memorat *Jamblichus*. Ut proinde *Philoſophus* ætate ſaltem illâ *minor* eſſe vix potuerit. Viciſſim *Pythagoram juniorem* νεανίαν appellat idem *Jamblichus*, eâque *ætate* ut exercitia *juvenibus* impoſita præſtiterit. Is fuerit annus, præter-propter, *ætatis* XX[us]. Satis nimirum commodè, ut *juvenis pater* etiam *Eratocles* artem *Muſicam* à *Philoſopho* didicerit. Sic *natus* fuerit *junior* ille *Pythagoras Aliptes* ſub initium *Tarquinij Superbi*. Ne quidem id incommodé. Sed & aliam præterea *temporis* notam quo venerit hic in *Italiam Pythagoras*, qui aliquatenus *Tyrrhenus* fuiſſe fertur, dedit *Laertius*. Et quidem ex eodem, cui *Tyrrhenum Pythagoram* debemus, teſte *Ariſtoxeno*. Sic ille
Laert. VIII. 1. de hoc *Pythagorâ*: Ὡς Ἀριστόξενος, Τυῤῥηνὸς, ἀπὸ μιᾶς τῶν νήσων ἃς κατέσχον Ἀθηναῖοι Τυῤῥηνοὺς ἐκβαλόντες. Inſulæ hæ *Lemnos*,
Bochart. de *Plen.* Colon. L. I. c. 33. *Imbros*, *Scyros* & *Lesbos*, ut docuit Cl. *Bochartus*. *Tyrrhenos* hoſce *Pelaſgos* fuiſſe, utpote è gente *Pelaſgorum* oriundos, è certiſſimis Auctoribus, *Thucydide*, *Sophocle*, *Dionyſio Halicarnaſſeo*, idem probavit *Bochartus*. *Pelaſgos* autem è *Lemno* expulit *Athenien-*

Athenienſium juſſu *Miltiades.* Sic enim illos appellat *Herodotus*, quos *Cares Nepos.* *Miltiades* hic erat *Cimonis* filius, *Cimonis* viciſ- Herodot. VI. 140.
ſim alterius qui *Perſas* vicit ad *Eurymedontem pater*, ipſe victoriâ *Marathoniâ* celeberrimus. *Tyrrhenorum* autem nomine hos ipſos *Pelaſgos*, quos expulit è *Lemno Miltiades*, veniſſe conſtat. Cauſam *exilij* memorat [1] *Herodotus* [1] Herodot. VI. 138. & IV. 145.
raptas ab his *Pelaſgis* è *Braurone Athenienſium* mulieres, *cæſoſque* decreto publico earum *filios.* Et *Tyrrhenis* raptum è *Braurone* mulierum *Atticarum* tribuit [2] *Plutarchus.* *Lemnios* item *Minyarum* filios à *Tyrrhenis* inde exactos, cum *Scholiaſte* conſentit ipſe [3] *Apollonius.* Idemque *Pelaſgis* factum aſſignatur à [4] *Valerio Maximo.* Sed *plures* fuiſſe inſulas è quibus *Tyrrhenos* arcuerint *Athenienſes*, cum *Italiam* cogitaret *Pythagoras*, docuit ex *Ariſtoxeno Laertius.* Et è *pluribus inſulis* pulſos *Tyrrhenos* priori loco teſtis eſt *Plutarchus.* Idem Auctor eſt non *Lemnum* modò, ſed etiam *Imbrum* eoſdem poſſediſſe, cum ſcelus in mulieres *Atticas* è *Braurone* admitterent in *Quæſtionibus Græcis.* Addit prædictis inſulis *Porphyrius Scyrum* è *Diogene* Incredibilium ὑπὲρ Θούλην Auctore, quem ipſe credidit de rebus à *Pythagorâ* geſtis ſcripſiſſe accuratè. Sed *Scyrum Dolopibus* eripuit *Miltiadis* filius *Cimon.* Ulline fuerint inter *Dolopas Tyrrheni*, non conſtat. *Lemnios* autem *Imbrióſque*, quaſi invicem affines jungunt *Herodotus* & *Thucydides.* Conveniunt autem Thucydid. L. III. 5. L. IV. 26.

[2] Plutarch. Virt. Mulier. p. 247. Quæſt. Græc. p. 296.
[3] Apollon. Argon. IV.
[4] Valer. Max. L. IV. c. 6. ext. 3.

hæ notæ ætati *Miltiadis*, immo *anno*, quo nos *Pythagoræ* adventum in *Italiam* conſtituimus, ſatis accuraté. Annus erat *Olymp.* LXVII. $\frac{2}{3}$. *Darij Hyſtaſpidis* XII. pro noſtris, quas ſuperiùs dedimus, rationibus. Et certè initio *Darij* adhuc *Lemnum* & *Imbrum* tenebant *Pelaſgi*, quos *Tyrrhenos* fuiſſe diximus. Ita de *Otane Darij* Satrapâ *Herodotus* :

Herodot. V. 26. Λαβὼν ᾗ παρὰ Λεσβίων νέας, εἷλε Λῆμνόν τε καὶ Ἴμβρον, ἀμφοτέρας ἔτι τότε ὑπὸ Πελασγῶν οἰκεομένας. Innuit hoc ipſo loco Hiſtoriæ pater, *tum* certè, (cum ipſe ſcriberet) non jam *ampliùs*, in illis inſulis fuiſſe *Pelaſgos*. Scripſit autem etiamnum vivente *Xerxe*. Proinde ante *Olympiad.* LXXVIII. $\frac{3}{4}$. quo *Artaxerxem* ſucceſſiſſe probavimus in *Annalibus* noſtris ante-*Peliponneſiacis*. Convenit profectò, quòd anno Belli *Peloponneſiaci* IV°. & quidem *priori* illius anni parte quæ ad *Olymp.* LXXXVIII. 4. ſpectabat, ſic *Lemniorum Imbriorúm*que meminit *Thucydides* quaſi tum non ſui fuiſſent juris, ſed in fide Populi *Athenienſis*, quod tum cœpit cum veteres harum inſularum poſſeſſores *Pelaſgi* ſeu *Tyrrheni* avitâ poſſeſſione ceſſiſſent. Sic item ejuſdem *Belli* anno VII. *Olymp.* LXXXVII. 4. Et *Belli* anno VIII. *Olymp.* LXXXIX. 1.

Thucyd. IV. 109. τὸ ᾗ πλεῖστον, Πελασγικὸν, τῶν καὶ Λῆμνόν ποτε καὶ Ἀθήνας Τυρσηνῶν οἰκησάντων. Vox ποτὲ temporis non admodum nuperi exacti nota eſt. Sed *ante* Bellum *Peloponneſiacum Samiorum*

miorum obſides *Pericles* in *Lemno* deponit. *Thucyd.* I. 115. *Scholiaſtes* ibi : Ἡ γὰρ Λῆμνος ὑπήκοος ἦν τῶν Ἀθηναίων. Hæc *Olymp.* $\frac{84}{85}$. $\frac{4}{1}$. pro noſtrâ diſpoſitione in *Annalibus Thucydideis*. Etiam ante *Xerxis* mortem hoc idem *Tyrrhenorum* exilium contigiſſe ex *Herodoto* probavimus. Rectè ergo *Miltiadi* auctori aſſignabitur quod proximis *Miltiadi* temporibus jam præteritum obſervavimus. Sed prælio *Marathonio* *Olymp.* LXXII. $\frac{2}{3}$. *diu* ſuperſtes non erat *Miltiades*, cujus aliam poſtea nullam Expeditionem legimus, præterquam in *Parios*. Proinde *antea* oportet exulâſſe *Tyrrhenos*. Et tamen certum eſt *poſt* reditum è *Scythiâ* *Darij Hiſtaſpidis* adhuc in inſulis hiſce *Lemniorum Imbriorúm*que fuiſſe *Pelaſgos*. Tunc *Otanem Megabyzi* loco oræ *Aſiæ* maritimæ præfecit *Darius*. De illo ita ſcribit *Herodotus* : Λαβὼν δὲ παρὰ Λεσβίων νέας, εἷλε Λῆμνόν τε καὶ Ἴμβρον, ἀμφοτέρας ἔτι τότε ὑπὸ Πελασγῶν οἰκεομένας. *Herodot.* V. 26. Impoſuit præterea *Lemniis Otanes* tyrannum, qui, brevi quidem, ſed tamen aliquantiſper, tenuit, antea nihilominus exutus quàm rem cum *Lemniis* gereret *Miltiades*. Tum enim *liberos* fuiſſe res ipſa loquitur. Ita certum eſt poſt *Olymp.* $\frac{64}{65}$. $\frac{4}{1}$. quo cœperit *Darius*, hoc *Tyrrhenorum* exilium contigiſſe. Domanda enim erat à *Dario Babylon*. Tum, pace conſtituta, apparatus ad Bellum *Scythicum* faciendus. Denique *Bello* ipſi *finis* imponendus *antea*, quam Satrapas fieret *Otanes*. Quæ

 certè

certè omnia *paucorum annorum* eſſe non poterant. Convenit præterea *tempus* quo miſſus fuiſſe dicitur ab *Athenienſibus* in *Cherſoneſum* hic, de quo loquimur, qui *Tyrrhenos* ab inſulis fugavit, *Cimonis* filius *Miltiades*. A
Herodot. VI. 39. *Piſiſtratidis* miſſum (non à *Piſiſtrato* ipſo) teſtatur *Herodotus*. Proinde poſt *mortem* ipſius *Piſiſtrati*, dum *fratrem* in Regno ſuperſtitem haberet *Hippias*, *Hipparchum*. Medio ergo anno aliquo inter *Olymp.* LXIII. 1. & LXVI. 4. pro rationibus quas dedimus in *Annalibus* noſtris *Thucydideis*. Ab illo enim anno *ſolus* erat in tyrannide *Hippias* ſine
Herodot. IV. 137. fratre aliquo collegâ *Piſiſtratide*. Erat autem in *Cherſoneſo Miltiades*, rerumque potiebatur, cum de ponte *Darij* ſolvendo, quo *reditus* illius è *Scythiâ* intercluderetur, conſilium cum *Scythis* iniret. Poſt reditum *Darij* à *Scythis* pariter ac *Dario* metuens *Miltiades*, tertio anno *Tyrannidis* anno fugit è *Cherſoneſo*, *Scythis* à *Dario* irritatis eas partes impetentibus. Hinc ſane colligimus, anno qui
Herodot. VI. 39. *Darij* Expeditionem præceſſit, poſſeſſam à *Miltiade Cherſoneſum*. Huc ſpectant verba,
Cap. 40. ni fallor, *Herodoti*: Οὗτος δὴ ὁ Κίμωνος Μιλτιάδης νεωστὶ μὲν ἐληλύθεε ἐς τὴν Χερσόνησον, κατελάμβανε δέ μιν ἐλθόντα ἄλλα τῶν κατεχόντων πρηγμάτων χαλεπώτερα. *Moleſtiarum* κατεχόντων nomine illas complectitur, quæ mox à fratris *Steſagoræ* morte primo *Miltiadis Cherſoneſum* adventu obtigerant, datis in cuſtodiam *Cherſoneſi* primoribus.

His

His ergo gravior erat illa quæ anno proximo, *Dario* in *Scythas* profecto, & *Megabyzo* res *Darij* abſentis in *Europâ* ſtrenuè procurante, *Miltiadi* communis erat cum aliis earum partium *tyrannis*. Graviſſima omnium illa, quæ proximo à *Darij* fugâ anno *Miltiadem* penitus à *Cherſoneſo* fugavit, *Scytharum* operâ *Darij* Expeditionem ulciſcentium. Cauſa fuiſſe videtur, quòd pontis *partem* tantummodo, quæ *Scythiæ* proxima erat, *Græci* abruperant. *Darium* enim irritaverat *Miltiades* conſilio de ponte *ſolvendo*. Et viceversâ *Scythas*, quòd *parte* tantummodo ſolutâ, *Dario* redeunti, juncto rurſus ponte, *Iſtro* trajiciendo operam navaviſſent. Fecit enim hæc eadem cauſa quæ *Scythas* ad vindictam provocaverat, ut æquiorem ſenſerit *Miltiades*, in *Metiochum* filium captum à *Phœnicibus*, quàm expectaverat, *Darium*. Hoc autem anno *Miltiadis* tertio, à fugâ *Darij* proximo, *Lemni Pelaſgos* diſerto *Herodoti* teſtimonio fuiſſe probavimus. Et *Imbri* etiam fuiſſe è fugientis *Miltiadis* itinere conſtat. *Imbrum* enim petiit, *Phœnicibus* illum perſequentibus, inde autem *Athenas*. Adhuc ergo *amicos* habuit *Imbrios*. Addit *Herodotus*: Καὶ κατὰ τὸ ἔτος τοῦτο ἐκ τῶν Περσέων οὐδὲν ἔτι πλεῖον ἐγένετο τουτέων, ἐς νεῖκος φέρον Ἴωσι. Gemina hæc ſunt cum iis quæ alibi idem habet *Herodotus*, poſt *Lemnios* ab *Otane* ſubactos; Καὶ ἤρχετο τὸ δεύτερον ἐκ Νάξου τε καὶ Μιλήτου Ἴωσι γίνεσθαι κακά.

Herodot. VI. 41, 42.

Cap. 42.

Herodot. V. 28.

Utrobique ſermo eſt de turbis in *Ioniâ* per *Ariſtagoræ* defectionem concitatis. Proinde ante illos *Ioniæ* tumultus *Athenas* jam redierat *Miltiades*. Ante ann. *Olymp.* LXX. ⅟₃. quo cœpit defectio illa *Ariſtagoræ*, pro noſtris calculis *Thucydideis*. Diutinum autem illud *Miltiadis* exilium eſſe vix potuit, mox à *Doloneis* reſtitui, reverſis in patriam

Herodot. VI. 40. *Scythis*. Hoc autem tempore quò *Cherſoneſo* exulavit ipſe *Miltiades*, *Cherſoneſum* pro *Atticâ* habere non potuit. Sed *Lemnios*, dum *Cherſoneſum* reverteretur, de *Oraculo*

Cap. 139. monuit quo juſſi ſunt *Athenienſibus* pœnas dare violatarum in *Braurone* virginum *Atticarum*. Viciſſim *Lemnij* illum monebant *Reſponſi* à ſe dati, *tum* ſe parituros cum ex *Atticâ* vento *Aquilone* uno die *Lemnum* attigiſſet. Sed, morâ nullâ interpoſitâ, in *Cher-*

Nepos Vit. *Miltiad.* c. 1, 2. *ſoneſum* docet perveniſſe *Nepos*: *Ibi brevi tempore barbarorum copiis disjectis, totâ* (inquit) *regione, quam petierat, potitus, loca caſtellis idonea communivit; multitudinem, quam ſecum duxerat, in agris collocavit; crebriſque excurſionibus locupletavit.* Poſtea *Lemnum* reverſus *vento*, qui à *Cherſoneſo* ſpirabat, *Aquilone* datam fidem exegit, vi etiam in recuſantes adhibitâ ne fidem fallerent. *Poſterioris* hæc in *Cherſoneſum* Expeditionis fuiſſe res ipſa docet, utcunque *Nepos* ad *priorem* imperitè retulerit. Conveniunt hæ notæ tempori à nobis aſſignato *Olympiad.* LXVII, ⅟₃. ſatis commodè, ſi ſaltem ſpatium

ſatis

ſatis laxum concedatur rebus in *Ioniâ* ab *Ariſtagorâ* novandis. Quo tamen ſeriùs, eo commodius, longiùs autem à calculis Adverſariorum. Sic fuerit *Tyrrhenus Eratocles* hujus junioris *Pythagoræ pater*, non quidem quod *ipſe* fuiſſet in *Hetruriâ*, ſed quòd eadem *gente* oriundus fuerat quæ jam *antea* colonias deduxerat in *Hetruriam*.

Sed *Pythagoram* κομήτην *non* alium à *Philoſopho* cenſet Cl. *Bentleius*. Exinde *Pugilem* eundem cum *Philoſopho* fuiſſe colligit, quòd fuerit κομήτης. Sed *contraria* omnia ex illâ ipsâ Obſervatione colligentem *Heſychium* ipſe teſtem adduxit, qui eodem Argumento *alium* à *Philoſopho Pugilem* probavit, eoſque *errare* cenſuit qui *eundem* exiſtimarent. Sed *Heſychio* opponit *Jamblichum*, quem tamen alibi tanti non facit ut fuerit cum *Heſychio* conferendus. De *Pugile* autem interpretatur etiam Auctor *Adagiorum* ex Appendice *Vaticanâ*. Sed miſſis *hominibus*, videamus interim è *reipsâ* petita Argumenta, ut inde colligamus, utra ſententia alteri ſit anteferenda. *Philoſophi* morem fuiſſe dicit ut *capillitio* inceſſerit promiſſo. Sed *alium* Philoſophi morem fuiſſe diſcimus ex *Athenæo*. Hic *Diodorum Aſpendium* illius apud *Pythagoræos* moris Auctorem facit, & quidem teſte *Hermippo*, qui de rebus *Pythagoræ* Scriptor habetur accuratiſſimus. Sic ille : Ἦν δ᾽ ὁ Διόδωρος οὗτος τὸ μὲν γένος Ἀσπένδιος, Πυθα-

13. *Comatus* non erat *Pythagoræ Philoſophus.* Primus autem morem *capillitij* promittendi Scholæ *Pythagoreæ* intulit. *Diodorus Aſpendius.*

P. 53.

Athen. Deipnoſ. L. IV. c. 17, 18. p. 163.

Πυθαγορικὸς δὲ δόξας εἶ), ὑμῶν τῆς Κυνικῶν (ad *Cynulæum Cynicum* ſermo eſt) τρόπον ἔζη, κομῶν, καὶ ῥυπῶν, καὶ ἀνυποδητῶν, ὅθεν καὶ Πυθαγορικὸν τὸ τῆς κόμης ἔδοξαν εἶναί τινες ἀπὸ τοῦ Διοδώρου παραχθὲν, ὥς φησιν Ἕρμιππος. Τίμαιος δ' ὁ Ταυρομενίτης ἐν τῇ ἐνάτῃ τῶν ἱστοριῶν, περὶ αὐτοῦ γράφει οὕτως· Διοδώρου τοῦ τὸ γένος Ἀσπενδίου τὴν ἐξηλλαγμένην εἰσαγαγόντος κατασκευὴν, καὶ τοῖς Πυθαγορείοις πεπλησιακέναι προσποιηθέντος. Πρὸς ὃν ἐπιστέλλων ὁ Στρατόνικος, ἐκέλευσε τὸν ἀπαγγέλλοντα τὸ ῥηθὲν ἀπαγγεῖλαι τῶν περὶ Θηριοπέπλου μανίας, ὕβρεως τε περιστάσιμον στοὰν ἔχοντι Πυθαγόρου πελάτῃ. Σωσικράτης δ' ἐν τρίτῳ Φιλοσόφων διαδοχῆς, βαθεῖ πώγωνι χρήσασθαι τὸν Διόδωρον ἱστορεῖ, καὶ τρίβωνα ἀναλαβεῖν, κόμην τε φορῆσαι, καὶ κατά τινα τῦφον τὴν ἐπιτήδευσιν ταύτην προσαγαγόντα, τῶν πρὸ αὐτοῦ Πυθαγορικῶν λαμπρᾷ τε ἐσθῆτι ἀμφιεννυμένων, καὶ λουτροῖς, καὶ ἀλείμμασι, κουρᾷ τε τῇ συνήθει χρωμένων. *Diodorus* ille *Aſpendius* ultimus erat *Pythagoræ* in Scholâ *Crotonienſi* ſucceſſor, VII[us]. à *Pythagorâ*, ſi *primus* numeretur ipſe *Pythagoras*. Perperam ergo hîc mentio *Stoicorum* ſectæ in interpretibus *Athenæi*, vixdum nato *Zenone Citico Stoicorum* Magiſtro. De στοᾷ ποικίλῃ *Zenonis* ſcholâ non magis cogitabat ille *Stratonicus*, quàm de *Ariſtotelis* Peripato, aut Academiâ *Platonis* aut horto *Epicuri*. Τῦφον ut *Soſicrates*, ſic etiam exprobrat *Diodoro*, *Stratonicus*. Nec tam pro *vero* Philoſophiæ *Pythagoricæ* profeſſore habet, quàm *venditatore*

Jamblich. Vit. Pyth. c.3.p.220.

tatore potius atque *oſtentatore.* Inde verbum illud *Timæi*, περιαπομπηθέντος. Quaſi ſcilicet *verum* cum *Pythagoraïs* commercium *nullum* habuiſſet. Propterea ſcilicet quòd primus ipſe tot *aliena* à mente *Pythagoræ* in Scholam tamen, cui præfuiſſet ipſe, *Pythagoræorum* intuliſſet. Sed in *porticibus* mercimonia ſua, quibus miſello Populo fucum faciebant, proſtituebant *Agyrtæ*. Hæc ςοὰ περιςάσιμος, ut ad locum docuit magnus *Caſaubonus*. Non itaque *Scholæ*, ſed *Porticûs* nomine *officinam Diodori* dignatur, quòd *Philoſophiam* venditaret potiùs quàm profiteretur. De cognomine *Diogene Cynicorum* patre ita *Laertius*: Καὶ παντὶ τόπῳ ἐχρῆτο εἰς πάντα, ἀριςῶν τε Laert. VI, καὶ καθεύδων, καὶ διαλεγόμενος, ὅτε καὶ τοὺς 22. Ἀθηναίους ἔφασκε (δεικνὺς τὴν τοῦ Διὸς ςοὰν καὶ πεμπεῖον) αὐτῷ κατεσκευακέναι ἐνδιαιτᾶσθαι. Se nempe pro *hoſpite* publico haberi volebat quod in ore *omnium* & conſpectu verſaretur. Similis enim erat πομπεὺς uſus quòd in illo Laert. II, *Deorum* πομπαὶ ſpectandæ proponerentur. 43. Et verò *Cynicorum* faſtum ſordeſque imitatum *Diodorum* oſtendit hoc loco *Athenæus*. Imo in hac ipsâ, de quâ agimus, causâ *comæ*. Κόμην enim κουρᾷ opponit, oſtenditque veteres ante *Diodorum Pythagoræos* tonſore uſos, nec à *vulgi* conſuetudine receptiſſimâ, ſub *Philoſophiæ* obtentu, diſceſſiſſe. Plane itaque in *Pythagoræ* Philoſophi perſonam non quadrat ſignificatio illa *comati* quà *junioribus* Diogene *Philoſophis* tribuebatur,

batur, qui proinde *capillitium* alebant ut Perſonæ quandam *gravitatem* inde conciliarent.

14. *Coma illa erat Pythagoræ Athletæ* Philoſopho prorſus *indigna*, qui vel inde vincitur non fuiſſe *Philoſophus*.

Contrà non ſenilis *gravitatis*, ſed *Puerilis* duntaxat *ætatis*, nota erat hæc quæ locum adagio fecit in *Pythagorâ*, coma. Fecit enim *coma* illa ut *Pugilatum* inter *Pueros* profiteretur. Sed quia annum *Puerilis ætatis* ultimum (qui tum XVII^us^ numerabatur) exceſſerat, proinde, *comâ* non obſtante à *Puerorum* Pugilatu *Hellenòdicarum* ſententiâ excluſus eſt, nec aliter, niſi cum *viris* cenſeri vellet, ad agonem admiſſus. Simile erat exemplum in causâ *Hylli* quem etiam ipſum *Hellanodicæ* eodem *ætatis* ejuſdem obtentu à *Puerorum* ludis arcuerunt. Cauſa utrobique eadem erat, *ætatis* nempe *Puerilis*, cujus nota erat *coma*. Inde *intonſus Apollo*, quem nempe *Puerili* vultu repræſentabant *Poëtæ* & *Pictores*. Inde *Puerorum cini*, & *cincinni*, & *βόςρυχοι*. Sic enim appellari ſolebat *cæſaries* in *nodum* collecta antea quàm *primam tonſuram* accepiſſet. Gloſſæ veteres *Philoxeni*: *Cirrus*, *μαλλὸς παιδὸς καὶ ἀθλητȣ̃*. Viciſſim: Μαλλὸς παιδὸς καὶ ἀθλητȣ̃, *Cirrus*, *Cirra*. Manifeſtum eſt hic deſignari *ætatem Puerilem* qualis locum habebat in agonibus *Puerorum*, quæ cauſa erat ipſiſſima *Pythagoræ*. Inde *Pueri* ipſi *cirrati* apud Poëtam:

Perſ. Satyr I.

Ten' cirratorum centum dictata fuiſſe
Pro nihilo pendere.

Et

Et *παῖς ἰοβόστρυχος* apud *Pindarum.* Ne du- *Pindar.*
bitemus tum quoque hæc fuiſſe *Puerilis æta-* Olymp.VI.
tis inſignia recenti adhuc memoriâ *Pythagoræ* 50.
Philoſophi, quæ tamen, ne tum quidem, ita
eſſe *cæperint*. Eodem ſpectat & alia nota
ἀλουργῖδος cujus meminit in eâdem ejuſdem Ap. *Laert.*
Pythagoræ causâ tam *Eratoſthenes* quàm etiam VIII. 47.
Phavorinus. Togam certè *Puerilem* apud *Romanos* purpurâ *prætextam* fuiſſe conſtar. Quæ quidem prætextura *purpuræ* in *virili* toga omiſſâ effecit ut virilis *toga pura* appellaretur. Sic *haſta pura* ea demum habebatur quæ *cuſpide* carebat haſtarum *vulgarium*. Et *cœna pura* quæ *deliciis* vacabat ex *animalium* carne quæſitis. Hanc autem *Romanorum togam* à *Lydis* & *Perſis* (imo proximè ab *Hetruſcis*, ſeu *Tyrrhenis*, è quibus unum ſaltem *Pythagoram* ortum probavimus) arceſſit *Romanarum* rerum Scriptor accuratiſſimus *Dionyſius Halicarnaſſæus*. Ab *oriente* certè, unde ſine dubio prodiit *Philoſophus*. Et *Purpuræ* uſum *Tyriis* plerique tribuunt, à quibus etiam nonnulli *Philoſophi* natales deducunt. Proinde nihil eſt cur *Purpuræ* uſum in *Pythagoræ Samij* Pugilis togâ *Puerili* miremur. Aliena autem erat à *Philoſopho* eoque nomine *Ariſtippo* exprobrata. Certè à *Pythagorâ Philoſopho* alieniſſima *veram* ſine fuco atque oſtentatione *Philoſophiam* profeſſo, *mediam* proinde inter *ſordes* atque *delicias*. Cæterùm ut adſcititium illud *Purpuræ* decus in *Pueris* non ita pridem è

nutricum

nutricum & *gynæconitidis* curâ egreſſis non moleſtè tulerint ; ita *muliebrem* illum ac *mollem*, nec *viri* nomine dignum exiſtimabant, qui ætate Puerili *major* adhuc *Pueritiam* cultu corporis *Puerili* ementiretur. Sic animos *Cumanorum Puerorum* emolliviſſe dicitur *Ariſtodemus* : Κομᾶν τὲ γὰρ τοὺς ἄῤῥενας ὥσπερ τὰς παρθένους, ἐκέλευσεν, ἐξανθιζομένους καὶ βοστρυχιζομένους, &c. Hac ſcilicet diſciplinâ *pueros* corrupit ἕως ἐκπληρώσωσιν εἰκοσὸν ἔτος, τὸ ἀπὸ τοῦδε χρόνον εἰς ἄνδρας εἶναι τελεῖν. Videmus hic *alienam* à *viri* dignitate fuiſſe ſiquis *medio* inter annum *ætatis* XVII^m^ & XX^m^ ſpatio, *comam* habuiſſet *intonſam*, quæ ipſa *ætas* erat *Pugilis Pythagoræ*. Gemina habet etiam *Plutarchus* in *Xenocritâ*. Habet autem de ipſo *Ariſtodemo* hæc quæ ad cauſam noſtram faciant :

Dionyſ.Halicarnaſ. Ant. Rom. VII. p. 424.

Ἐπεκλήθη γὰρ ὑπὸ τῶν βαρβάρων μαλακὸς, ὅπερ ἐστὶν ἀντίπαις, ὅτι μειράκιον ὢν παντάπασι μετὰ τῶν ἡλίκων ἔτι κομώντων (οὓς κορωνιστὰς, [leg. κομητὰς,] ἀπὸ τῆς κόμης ὠνόμαζον) ἐν τοῖς πρὸς τοὺς βαρβάρους πολέμοις ἐπιφανὴς ἦν καὶ λαμπρός. Hic manifeſtum eſt eam eſſe, quam dixi, κομητοῦ ſignificationem quâ à *comâ* deducitur : *Ætatis* nimirum fuiſſe notam quâ nondum communia *Puerorum Virginúm*que inſignia depoſuerant. Hæc *ætas* erat ἀντίπαιδος ſeu μειρακίου, *Pueritiæ* anno, pro illius *Seculi* cenſu, ultimo XVII°. Tum μαλακὸς habebatur *Ariſtodemus*, cum nondum accepiſſet inſignia quibus à molliori

Plutarch. de Virt. Mulier. p. 261.

ſexu

ſexu *muliebri* internoſceretur. Cum nondum acceſſiſſet *hircoſa* cutis durities quæ diſcrimen manifeſtum faceret. Μαλακοὶ enim effœminati, qui tum demum opprobrio obnoxij cum *ſexus* dignitatem, *ætatis* receptâ normâ manifeſtam non aſſererent, exutis deinde mollitiei *muliebris* inſignibus. Sic intelligimus rationem cur *irriſus* fuerit *Pugil Pythagoras*, ὡς θῆλυς, in fragmento *Africani Olympionicarum* apud *Scaligerum*; ὡς ἁπαλὸς, apud *Syncellum*. Quod ſcilicet *virilem* ætatem aſſecutus, *comâ* tamen nondum *detonsâ*, & *Puerili togâ* nondum mutatâ, ſexum *virilem* diſſimularet, & *muliebrem* ementiri videretur. Nihil itaque ad *gravitatem Philoſophicam*, quam ſibi vendicabant *capillitio* promiſſo *Cynici*, ſpectabat *coma* illa *Pythagoræ* quæ illum ita non fecerit *venerabilem*, ut contra potiùs *ludibrio* expoſuerit. Fecit nimirum ut ne quidem *viri* nomine dignus haberetur. Tantum aberat ut *reverentiam* tanto *Philoſopho* debitam vendicârit, quò tamen refertur à *Jamblicho* & à *Luciano*, & à noſtris etiam, in hac causâ, *Adverſariis*. Sed verò non *Sami*, ut volebant illi, ſed in *Elide*, *Olympiorum* loco quo vicit *Pugil*, natum *Adagium*, ex *Epigrammatis* à *Theæteto* conditi parte poſteriore colligitur. Sic enim ſe habet:

Πυθαγόρης ἐγώ εἰμι. τὰ δ' ἔργα μου εἴ τιν' ἐρεῖς Ἀp. *Laert.*
Ἠλείων, φήσεις αὐτὸν ἄπιστα λέγειν. VIII. 48.

Illud

Illud nimirum ἄπιϛον videbatur, quòd *Pueritiam* nuper egreſſus à *viris* palmam reportârit. Vera itaque ſententia *Adagij* in eo locum habet, qui, ſpe factâ rerum gerendarum admodum *mediocrium*, *maxima* tamen præſtiterit, omnemque prorſus expectationem *ſuperantia*. Itaque contrariæ invicem ſunt duæ hæ, noſtra, atque Adverſariorum, ejuſdem *Adagij* interpretationes. Facit enim noſtra ad *comati* Pugilis *contemptum* quòd *comati* nomine fuerit *irriſus*. Contrà, ad *comæ laudem* venerationemque ſpectabat mentio *comati*, non *Pueri* tamen, ſed *ſenis*, annorumque, & canorum, causâ reverendi, *Philoſophi*. *Corporis* præterea laus erat ſolius quam in *Puero Pugile* prædicatam legimus, quæ tamen *mentis* præcipuè expectanda erat in *Philoſopho*. *Mentis* præterea illum poſtea acceſſiſſe, aliunde probandum erat quàm è *Pugilatu*. Ita autem rem, uti volunt, poſtea fuiſſe, proferant Adverſarij, quas volent, Tabulas. Sic Chronologiam *Philoſophi* perplexam reddiderunt *variorum hominum* facta in unum eundemque *Philoſophum* collata. Horum *nonnullos* Philoſophi *diſcipulos* fuiſſe veriſimillimum eſt, propter *dogmata* cum Præceptore *communia*. Et tamen in ampliſſimo diſcipulorum Catalogo quem exhibet *Jamblichus*, ne quidem unicum legimus *Præceptori* cognominem *Pythagoram*. Cauſa erat in promptu ſi *Pythagorarum diſcipulorum* Hiſtorias ad *Præceptorem* retule-

retulerint *Catalogorum* Auctores. Hinc item intelligimus quomodo potuerit in incendio *Cyloniano* perire *Pythagoras*, & tamen multis ante illud incendium *annis* perire *Philoſophus*. Facilè & illa poterunt invicem conciliari ſi *tyrannus* in *Crotone Pythagoras*, qui periit in *incendio*, alius tamen fuerit à *Philoſopho*. Alium porro *Philoſopho* patrem *Damaratum* tribuit *Juſtini Trogus*, qui quartus proinde fuerit, & cum *Zacynthio* quintus, qui communi cum *Philoſopho* Hiſtoriâ continetur. Sed mihi, fateor, ſuſpicio eſt cum *Lucumone* (qui poſtea *Tarquinius* erat *Priſcus*) illum confundi *Pythagoram*, nec alium proinde à *Damarato Corinthio Damaratum* illum fuiſſe *Samium*. Erant enim ambo exteri in *Italiâ* celeberrimi tam *Tarquinius* ille *Priſcus* quàm etiam *Pythagoras Philoſophus*. L. XX. c. 4.

Habet autem aliunde Cl. *Bentleius* Argumentum *temporis* quo *Pythagoram* Philoſophum credit floruiſſe. A teſtimonio nimirum *Antilochi*. Sic enim de illo *Clemens Alexandrinus* : Ἀντίλοχος ἐν αὖ ὁ τοὺς Ἵστορας πραγματευσάμενος ἀπὸ τῆς Πυθαγόρου ἡλικίας ἐπὶ τὴν Ἐπικούρου τελευτὴν, Γαμηλιῶνος ἐν δεκάτῃ ἱσταμένου γενομένην, ἔτη φέρει τὰ πάντα τριακόσια δώδεκα, *Strom.* I. Dies ille *Gamelionis* X^us^. Archonte *Pytharato Olymp.* CXXVII. 2. anno Cycli *Calippici* LX°. *Januarij Juliani* dies erat ⅞. anni Urbis Condit. *Varroniani* 484. qui reſpondebat

15. Non favet Adverſariis *Antilochus*. Certus nullus *Pythagoræ annus* ab eo deſignatur voce ἡλικία.

Olymp. CXXVII. $\frac{2}{3}$. Hic citimus Hiſtoriæ ab *Antilocho* ſuſceptæ limes. Demptis annis 312. ſupererunt anni ejuſdem Epochæ *Varronianæ* 172. Reſpondit annus ille *Julianus* Prolepticus ann. *Olymp.* XLIX. $\frac{2}{3}$. *Tarquinij Priſci* XXXV. ut è noſtris *Tabulis* apparet. Annus erat ante noſtrum *Philoſophi* natalem XIII^us. Poſt *Bentleianum* verò XXIII^us. Pro *neutrorum* hypotheſibus *natalis* ille annus *Pythagoræ* eſſe potuit, ſeu *noſtris*, ſeu etiam *Bentleianis.* Et tamen calculum accuratè poſitum oſtendit *citimus* ille, quem dixi, limes qui ad mortem *Epicuri* porrigebatur, tantâ ἀκριβείᾳ deſignatus, ut & *menſem* Epicuro fatalem, & menſis *diem*, calculi ultimum, conſtituerit. Fecitque noſtra, quam dedimus in Opere de *Cyclis* emendatio, ut, *annus*, ſaltem, accuratiſſimè reſpondeat. Det itaque vir acutiſſimus etiam ipſe viciſſim rationes ſuas quæ efficiant ut lectio vulgò recepta ſimiliter conveniat. Hoc ut efficiat, obſervavit *vocem* quâ uſus eſt *Antilochus*. Nempe à *Pythagoræ* ἡλικίᾳ procedere ſupputationem, quam quidem ἡλικίαν ipſe, pro mente ipſius *Pythagoræ*, ab anno ejuſdem XX°. arceſſendam eſſe contendit. Et tamen hunc annum *Pythagoræ* ſui XXIII^m. ipſe quoque numerat. Suſpi-
P. 57. catur autem annum *Pueritiæ* ultimum fuiſſe XVI^m. & de eo intellexiſſe *Antilochum*, quòd *Olymp.* XLVIII. 1. anno *ineunte* vicerit. Sed Puero *majorem* fuiſſe prodit ſententia

Helleno-

Hellenodicarum, qui tamen, pro recepto *Olympiorum* calculo, annum *ætatis* XVI$^{m.}$ implere non potuit anno *Olymp.* XLIV. 1$^{o.}$ *natus* niſi ipſo *Olympiaci* anni *initio* fuerit in lucem editus. Fallitur autem Vir doctiſſimus ſi annum illum *ætatis* XVI^{m}. pro *Pueritiæ ultimo* habeat. Annum enim XVII$^{m.}$ complectebatur *ætas*, pro *Servij Tullij* cenſu, *Puerilis*, μελλεφήβȣ XV$^{m.}$ ἐφήβȣ XVI$^{m.}$ & XVII$^{m.}$ ἐξεφήβȣ, quibus reſpondebant *Lacedæmoniorum* μελλείρενες, ἔιρενες, ἐξείρενες. Nempe poſt ἥβlω annum *unum* quo ex *Ephebis* exceſſiſſe dicerentur. Ab hoc demum anno *ætatis* XVII$^{o.}$ inibat ἡλικία ςρατιωτικὴ, quæ & ἥβη & ἡλικία ſimpliciter & νεότης & *Pubes* & *Adoleſcentia* appellari ſolebat pro cenſu Catalogorum *militarium*. Poſtea per *biennium* in περιπόλοις merebant ὁι ἀπὸ διετȣ̃ς intra civitatum *limites* cujuſque *patrios*. Inde procedebant ſtipendiorum *quinquennia*, nempe ab inito anno *ætatis* XX$^{o.}$ quo jam *extra* patriæ fines militabant. Pro hoc ergo *ſecundo* quoque ἡλικίας militaris forinſecæ cenſu, jam annus erat ἡλικίας *ſecundus* quem anno *Pythagoræ* ſui XXI$^{o.}$ labenti imputare oportet pro ſecundis illis Cl. *Bentleij* rationibus. Sic neutro modo certum hujus *Antilochi* Epochæ *annum*, quo inierit, conſtituunt Viri doctiſſimi rationes. Eſt tamen profectò cur merito dubitemus certúmne aliquod in *Pythagoræ* vita ſpatium ἡλικίας nomine deſignare voluerit *Antilochus*. Eſſet quidem cur

M 2 ita

ita ſe res haberet ſi *unius ejuſdémque* hominis ætates *variæ* invicem conferrentur. Sic enim *mediam* ætatis univerſæ partem indicaret ἡλικία, quam reliquæ præcederent vel conſequerentur *ejuſdem* hominis *ætates*. Hic autem non una *Pythagoræ* ætas cum aliâ *ejuſdem Philoſophi* ætate contendebatur ab *Antilocho*, ſed *ætas* illius univerſa à variis ſeculorum *Philoſophorum* in διαδοχαῖς ſecernitur, ad *ætatem*, quæ ἡλικία erat univerſa, *Epicuri* quæ *morte Epicuri* terminabatur. Vel inde intelligimus non *mediam* duntaxat *ætatem Epicuri*, quæ ἡλικία propriè appellabatur, hic accipiendam. Illam enim longe
Laert. X. 15. ſuperavit *Epicurus* qui LXXII° vitæ anno deceſſit. Itaque ut in *morte* finem accepit ἡλικία *Epicuri*, ita in *natalibus initium* habuiſſe conſentaneum eſt *Pythagoræ Philoſophi* ἡλικίαν. Ita ſpatium illud omne complectetur ἡλικία *Pythagoræ* quo vixit ipſe *Philoſophus* & *Philoſophi* omnes Pythagoræ *coævi*. Ita quidem, ſi adeo explorati fuiſſent *Pythagoræ natales* quam fuere poſtea *Epicuri* coævorumque Epicuro *Philoſophorum*. Hoc qui aliter ſe habebat (his præſertim, de quibus agimus, *Pythagoræ temporibus*) proinde undecunque anſam captabant ſtatuendi *ætatem* alioqui incompertam, ſi minus à *natalibus*, qui *nulli* reperirentur in *Hiſtoriâ* conſignati, à *morte* tamen vel à *facto* aliquo *inſigni*, vel à *coævo*, ſiquem habuiſſent *temporis* in *Hiſtoriâ*, boniſque monumentis *explorati*.

explorati. Ex *unâ* ergo iſtiuſmodi *notâ* de vitæ *univerſæ* ἡλικίᾳ pronunciare neceſſe erat. Ita *coævorum* Seculum *univerſum* pro ἡλικίᾳ habent optimi Scriptores. *Demoſthenes:* Εἰς τὴν νῦν ζῶσαν ἡλικίαν ὁ χρόνος προήγαγεν ἡμᾶς. Eadem prorſus ἡλικία eſt quam paulo antea τὴν κατὰ τὸν παρόντα χρόνον γενεὰν appellaverat. Sic πολλαὶ ἡλικίαι apud *Plutarchum* ἔμπροσθεν τοῦ περὶ Σάμον πολέμου, tantundem valent quod multa ante Bellum à *Pericle* in *Samo* geſtum *Secula.* Nec aliter ſæpe, ſi rectè memini, *Herodotus.* Nihil itaque neceſſe eſt ut illam vocis *ſignificationem* quæ Cl. *Bentleio* placuit, hoc in loco admittamus, quam nec ipſam quadrare vidimus. Quicunque demum is fuerit *vitæ* annus à quo *Pythagoræ* Hiſtoriam arceſſivit *Antilochus*, nota tamen ἡλικίας fuerit, in hac adeo incertâ, quâ vixit *Pythagoras*, temporum *Chronologiâ.* Paſſim occurrunt in *Euſebio*, his temporibus, *unius ejuſdemque* hominis *varij anni*, pro multorum, quos excerpſit, Auctorum *ſententiis* ipſis quoque *variis.* Non *una* certè ab *origine*, nec *unius* ejuſdemque *Facti*, nedum à *certâ* aliquâ *Epochâ* ἡλικίας quâ *mediam vigentemque* ætatem deſignat. Nec deſunt in eodem *notæ* etiam à *Natalibus*, *Olymp.* XXXV. 1. *Thales Mileſius Examij filius primus Phyſicus Philoſophus agnoſcitur*, inquit, *Euſebius.* Hunc annum *Thaletis natalitium* omnes agnoſcunt *Olymp.* LV. 2. *Simonides clarus habetur.* Hic certè

Demoſth. Epitaph. p. 153.

Plutarch. Pericl. p. 167.

Euſeb. Chron.

annus à *natalibus Simonidis* abeſſe *longe* non potuit, pro ipſius Domini *Bentleij* rationibus quæ annum *Simonidis* LXXX^m. anno *Olymp.* LXXV. 3. aſſignandum è *Simonidis* ipſius teſtimonio invictè probant. Et tamen utròbique verbum *Euſebij* ἐγνωρίζετο, S. *Hieronymo agnoſcitur*, & *clarus habetur*, *adultam* magis quàm *infantilem* ætatem præfert. Et ſic ſuos Auctores *Euſebius*, *Euſebium* autem ipſum intellexiſſe videtur *Hieronymus*.

16.

Nulla erat *ratio* cur initium *Hiſtoriæ Philoſophicæ* à Pythagoræ Philoſophi *Adoleſcentiâ* arceſſeret *Antilochus*. Hallucinatur in *Solomonis* ætate *Petavius*.

Nec ulla erat profectò ratio cur *Philoſophorum* διαδοχὴν ab *Adoleſcentiâ Pythagoræ* inchoaret *Antilochus*, ſi vel compertum habuiſſet *Pythagoræ natalem*. Edit certè *Philoſophorum* ſuorum *natales Laertius* quà quidem licuit per *Auctores*. Exemplo procul-dubio eorum qui fuerant ante *Laertium*, in *Hiſtoria Philoſophorum* verſati, quo quidem in numero hic ipſe erat *Antilochus*. Nec *Scholæ* ſuæ *Magiſterio* maturum *Pythagoram* fàcere potuit ἡλικία illa *Bentleiana*, ut *Scholarum* duntaxat *Præfectos* Ἱερῶν nomine intelligeret *Antilochus*. Major tamen eadem quàm ut *illa* primùm *ætate* nomen dederit *Philoſophiæ* ſtudio *Pythagoras*, ſeu morem *ætatis* receptum expendamus; ſeu *maturam* ipſius *Pythagoræ* indolem, & ſupra ſpem expectationemque *præcocem*; ſeu *diligentiam* patris, in filio excolendo, *Mneſarchi*. Vix itaque dubito quin ab alicujus *Pythagoræ natali* proceſſerit illa *Antilochi* ſupputatio, quem

quidem

quidem pro *Pythagorâ Philoſopho* ipſe habuerit *Antilochus.* Alium tamen illum à *Pugile* Domini *Bentleij* ipſa vincit *ætatis* ratio, quòd tum illam ἡλικίαν attigerit *Pugil* cum alius ille *naſceretur* à quo *Hiſtoriæ Philoſophorum* Epocham ipſe arceſſivit *Antilochus.* Nec ſane illam ἡλικίας ſignificationem quæ *certum* ætatis *annum* alium à *Natali* deſignat, *exempla* vincunt à doctiſſimo Viro allata è *Chronologiâ antiquiſſimâ.* A *Regni* initio procedit ἡλικία *Solomonis* pro calculo *Clementis Alexandrini.* Quod verò XXIII^tius^ is fuerit *ætatis* annus nec docuit, nec potuit docere, *Petavius*, cum nullæ illum prodiderint hodiernæ *Sacræ Literæ.* Annum XII^m^ fuiſſe volunt magno conſenſu Veteres: Auctor *Conſtitutionum* quæ ſub *Apoſtolorum* nomine feruntur, idemque *Ignatij* interpolator, & quicunque demum is fuerit qui *Mariæ Caſſobolitæ* nomine *Epiſtolam* ſuppoſuit ad *Ignatium.* Etiam S. *Chryſoſtomus*, S. *Hieronymus*, *Cedrenus* & *Zonaras*, & *Rabbinorum* etiam *Traditiones*, quorum teſtimonia collegit *Cotelerius.* Eumque numerum in ſacro quoque *Textu* olim fuiſſe, vel *uno* duntaxat *anno* diſcrepantem Argumenta ſunt minimè ſane contemnenda. In *Alexandrino* Codice 1 *Reg.* II. 12. verba adduntur, ἐτῶν δώδεκα quo loco de *Solomonis* ætate ſermo eſt. Et in Editionibus nonnullis, *Altinâ* certè υἱὸς ἐτῶν δώδεκα, pro lege *Ebraiſmi.* Quam quidem lectionem tribus è quattuor

Coteler. ad Conſt. Apoſt. L. II. c. 1.

Regiæ *Galliarum* Bibliothecæ Codicibus con-
firmari docet ibidem *Cotelerius*. Accedit
Ap. *Euſeb.* Præp. Ev. L.IX.c.34. p. 449. teſtimonium antiquiſſimum *Eupolemi*, qui teſtatur *Solomonem* ἄρξασθαι οἰκοδομεῖν τὸ ἱερὸν τοῦ θεοῦ, ὄντα ἐτῶν ιγ'. Unde quæſo hæc *Eupolemus* niſi ex antiquiſſimis coævïſque ſibi *Codicibus*? Hoc tamen de ſuo *ratiocinium* miſcuit, quòd cum primo mox Regni *initio* manum à *Solomone* Templo admotam falsò crederet, *primum* proinde *Regni*, poſt patrem, annum *ætatis* XIIIm. numerârit.
Joſeph. Antiq. VIII. 3. Cumulavit porro calculum eundem, errore ſimili, *Joſephus*. Annos enim *Solomonis* cenſet *vitæ* XCIV. *Regni* LXXX. Ab anno, ut videtur, *Davidis* ultimo quo *Regem* crediderit à patre *renunciatum*. Calculum nimirum *Eupolemi* de anno *ætatis* XIIIo. *abſoluto* intelligens, ut *Templi* ſtructionem à Præcepto *Davidis* etiamnum *ſuperſtitis*, de Templo in *futurum* condendo arceſſivit *Eupolemus*. Sic utrobique, tam ſcilicet apud *Joſephum* quàm *Eupolemum*, veſtigia conſtant *lectionis antiquiſſimæ*, de anno *Solomonis*, cum in *Regnum* ſuccederet XIIo. Nullos habemus de *Græcorum* Interpretum *lectione* teſtes his antiquiores. Nec diſſimilem *Ebræorum* Codicum olim fuiſſe *lectionem* ſuſpicio eſt. E *Rabbinorum* illorum teſtimoniis qui *Græcis* nunquam favent ab *Ebraicâ* lectione diſcedentibus. Itaque *Maſoræthis* fortaſſe debemus quòd nulla hodie habeamus in *Ebræorum* hodiernis Codicibus hujus lectionis indicia.

indicia. Ante illos floruit noſter *Hieronymus* qui non uno in loco illam, quam dixi, *Solomonis* ætatem agnoſcit. Hunc tamen *Ebræis* æquiorem fuiſſe, quàm *Græcis*, manifeſtum eſt. Saltem profectò cum ſcriberet in *Iſaiam.* Sic ergo illum in Codicibus *Ebræis* ſibi *coævis* reperiſſe veriſimillimum eſt. Cæterùm *Petavius* non alium habuit, ut videtur, Auctorem quàm *Eupolemum.* Ita non *Petavij* error fuerit qui XIII. ſcripſerit, ſed dormitantis *Typographi* qui numerum *Petavianum*, lapſu ſatis proclivi, integrâ auxerit *decade,* ejuſque loco XXIII. repoſuerit. Sic univerſa Domini *Bentleij* Argumentatio in nihilum denique redibit. Nec enim illam, quam vult Vir doctiſſimus, ἡλικίαν implebit *ætas* illa tantilla *Solomonis.* Sed non *certum* aliquem *ætatis annum*, uti dixi, ſed *Regni* Solomonis *initium* cogitabat *Clemens Alexandrinus*, quæ Epocha longe notior erat quam illa fuerit *ætatis.* Videat porro Dominus *Bentleius* quomodo ſit cum ſacro *Textu* conciliaturus ſuam illam ſententiam de ἡλικίᾳ *Solomonis.* Se *parvum puerum* appellat ipſe *Solomon,* נער קטן *Ebraice.* Apud *Græcos* interpretes deeſt locus ille, 1 *Reg.* III. 7. Idem alibi παιδάριον ἁπαλὸν, Græcis ipſis interpretibus, *parvulus* & *delicatus* vulgato interpreti *Latino,* נער ורך *Ebræo* Originali 1 *Paralip.* XXII. 5. Similiter in *Ebræo* & vulgato *Latino,* 1 *Paralip.* XXIX. ubi *Græcis* νέος καὶ ἁπαλός. Certum eſt

S. Hieronym. Ep. 125, 131, 132. & in Iſ. III. 4.

Regno

Regno *Davidis* admodum *affecto* natum eſſe *Solomonem.* Bello demum *Ammonitico Bathſhebâ* vitiatâ, virum illius *Uriam Joabi* miniſterio tollendum curavit. Periit autem *primogenitus* è *Bathſheba* nondum *accepto,* ut videtur, *nomine.* Ab illo *quartus* cenſetur ex eadem *Bathſhebâ Solomon,* 1 Paralip. III. 5. Firmant hæc omnia veterem illam, quam dixi, *Textûs* ſacri *lectionem,* aliena prorſus à rationibus *Bentleianis.* Perperam ergo ad hanc ἡλικίας ſignificationem adſtruendam primum hoc exemplum adduxit Vir Eruditiſſimus.

17. Tantundem valent apud *Veteres* in *Chronologiâ* omnium *antiquiſſimâ* ἡλικία, γένεσις, ἀκμὴ, γενέα.

Imo prorſus aliena eſt à *Clementis Alexandrini* mente in his antiquiſſimis *Synchroniſmis* illa ſignificatio. Contendit ille invicem γενεὰς *retrorſum* actas, eoſque habet pro *coævis* quorum *pares* fuerint, & à *citimis* Epochis pariter remotæ γενεαί. Aliæ nullæ ſuppetebant temporum plerunque notæ, cum nulla eſſent adhuc gentium inter ſe *commercia,* nec ullæ prorſus quæ *rerum* invicem *nexarum* fidem facerent ipſæ fide dignæ *Hiſtoriæ,* & ne quidem *Epochæ* anteriores unde ſupputationum *initia* procederent. *Situm* autem in temporum *Canonibus* undecunque colligebant, à quacunque hominis *re geſtâ* quæ juniorum *ratiociniis* conſtitui poterant in *Chronologiâ,* quæ tamen rarò admodum, ſi fortaſſis unquam, in illam incidebat, quam tanti fecit Dominus

Bentleius

Bentleius hominis ipſius ἡλικίαν. Vera itaque non eſt diſtinctio illa γενέσεως ab ἡλικίᾳ, quod quidem facit ad hanc, de quâ agimus, cauſam. Γένεσιν *Dracontis Clemens* Olymp. XXXIX. Clem.Alex. Strom I. p.133.31. Commol.
aſſignat, quo quidem *Leges* tuliſſe dicitur, non *infans* utique, ſed *maturæ* ſaltem *ætatis*. Γεγονὼς vox *Clementis* eſt. In *Homeri* causâ Clem.Alex. ib. p. 141. 17.
γενέσεως ipsâ voce utitur, cujus tamen *annum natalem* tantum aberat ut cognoverint antiqui Chronologi, ut ne quidem de γενεᾷ quâ vixerit, invicem conſenſerint. Hîc itaque γενέσεως nomine aliud intelligere non potuit *Clemens* quàm quod alibi vocibus ἀκμῆς & ἡλικίας. Et in ipsâ *Moſis* causâ non ita γένεσιν ab ἡλικίᾳ fecerint ut ἡλικίας nomine *mediam* illam *maturámque* ætatem deſignârit, ut vult Dominus *Bentleius*. *Moſis* ἡλικίαν non uno in loco P.129. 21.
memorat. Et tamen *tres* tantummodo in universâ *Moſis* vitâ *Epochas* agnoſcit, γένεσιν, P. 145.
στρατηγίαν, τελευτήν. Nec plures habent *ſacræ* etiam *Literæ* notâ *temporis* inſignes. Quamcunque harum ἡλικίας nomine intellexerit *Clemens*, non potuit certè *Bentleianam*. *Media* quoque illa in annum *vitæ* incidit LXXXm. Quid fecerit *Moſes* anno ætatis XXo vel XXIIIo nec docuit *Hiſtoria ſacra*, nec potuit proinde docere *Clemens*. Sic etiam Prophetarum *Aggi*, *Zachariæ*, & *Malachi* unam eandemque *Clemens* agnoſcit ἡλικίαν, *Olymp.* XLVIII. 1. Ideone *unum* aliquem eundemque *ætatis annum* hoc ipſo anno egerint? E quibus, quæſo, *ſacris monumentis*, P. 143.

è quibus

è quibus *Veterum* vel *Traditionibus* vel *Fabulis* hoc potuit ipſe diſcere *Clemens*? Sic *Zethum*
P.139. 36. & *Amphionem* dicit περὶ τὴν Κάδμου γεγονέναι ἡλικίαν. Non ita certè intelligendus quaſi tum *nati* fuiſſent *Zethus* & *Amphion* cum annum *Cadmus ætatis* ageret XX$^{m.}$ vel XXIII$^{m.}$ Quis enim unquam *Chronologus* ſeu *Zethi*, ſeu *Amphionis*, ſed *Cadmi* deſignavit annum *natalitium*? Non hoc volebat *Clemens*, ſed *Cadmi Seculo* (quà quidem *Secula* per γενεὰς deſignari ſolebant à junioribus qui γενεὰς invicem contulere, Grammaticis) vixiſſe *Zethum* & *Amphionem* mœnium *Thebanorum* conditores cum *Urbis* nempe *Thebanæ* conditore *Cadmo*. Nec aliter intelligenda ἡλικία *Lycurgi*, quam eandem fuiſſe cum ejuſdem
P. 141. 46,48. ἀκμῇ pro mente *Clementis* rectè obſervavit Vir doctiſſimus. Ita ἀκμὴ non *ætatis florem* tantummodo denotabit, ſed *ætatem* & *Seculum* à *natalibus*, ut ætatem *ſuam* & Seculum, *Patrum Avorúm*que Seculis opponunt Auctores. *Parentum* enim ætatem Seculumque à *Patrum natalibus*, *Avorúmque*, ab *Avorum natalibus* ſimiliter ordiuntur. Certum enim, quo *natus* fuerit *Lycurgus*, annum ſcire non poterant qui ne quidem de *Seculo*, quo floruerit, invicem conſentiebant. Inde συνακμάσαντες cenſentur quicunque *notas* aliquas *Chronologicas* ſeu *natalium*, ſeu *mortium*, ſed *mediæ* vitæ *geſtorum* inſignium habebant non admodum diſcrepantes. Non alibi magis *hujus Chronologiæ* incertitudo apparet quàm

in

in Scriptoribus *Hiſtoriæ* ἀκριβῆ. Multa horum veſtigia habemus tum alibi, tum præcipuè apud *Georgium Syncellum.* Claſſes illi congerebant *hominum* συνακμασάντων, ut exiſtimabant, *rerúmque* invicem *coævarum.* Ordine tamen plerumque *perturbatiſſimo.* Dum enim *homines cognomines* invicem permiſcent, dum γενεὰς *diverſarum* διαδοχῶν committunt admodum *diſpares*, dum aliorum hominum *mortes* cum *geſtis* aliorum *mediis* vel etiam *natalibus*, dum γενεῶν non *unicam* agnoſcunt *menſuram* (quæ tamen ipſa erat incertiſſima) ſed aliam aliamque pro diverſorum *Auctorum* ſententiis invicem diverſiſſimis: non eſt cur miremur ſæpe evenire ut pro *coævis* habeantur qui *partem* in Seculo nullo *nullam* communem habuerint. Nulla itaque *his temporibus* de certo aliquo *medio* ætatis *anno* ἡλικίας nomine intelligendo procedit Argumentatio. *Natalem* autem *annum* aut *emortualem* magis commodè fert illa ipſa notio ἡλικίας quà *Seculum* denotat, quæ noſtra vocis interpretatio eſt. Firmat porro *noſtras* rationes accuratiſſimè, ſi pro noſtrâ conjecturâ *legatur* teſtimonium *Antilochi.* Adverſariorum rationes *convellit* ipſa illa *lectio* quam defendunt. Tam longe abeſt ut quicquam habeat quod *noſtris* rationibus *adverſetur.*

Videamus autem obiter quis ille ſit *Antilochus*, quantumque ſit illius teſtimonio tribuendum. Sunt quidem, fateor, qui *eundem* illum 18.

18. *Antilochus* ille *Epicuro* paulo *junior.*

illum cum *Antiocho Hiſtorico* eſſe volunt. Alium ab *Antiocho Syracuſano Vetuſtiſſimo* rerum *Sicularum* Scriptore vincit *ætas*, quòd ad mortem *Epicuri* Hiſtoriam ſuam *Philoſophicam* deduxerit. Vincit, quòd non *Rerumpublicarum* Hiſtoriam ſcripſerit, ſed ἱςόρων, de *viris* nempe *eruditis* & *Philoſophis*. Ego eundem puto cum eo quem *Dionyſius Halicarnaſſæus Antilogum* appellat, quemque *recentioribus* accenſet *Philoſophis* quidem, *ſtyli* tamen cultuſque *elegantioris* neglectoribus, *Phylarcho*, *Duridi*, *Polybio*, *Saoni*, *Demetrio Calatiano*, *Hieronymo*, *Heraclidi* & *Hegeſiæ Magneſio*. Alienæ notæ illæ ſunt à Perſonâ & ætate *Antiochi*, magiſque illi conveniunt qui ſcripſerit poſt *Epicurum*. Et facilis erat error, ut χ migraret in γ, vel viceversâ. Erat ergo *Philoſophus* ille ſeu *Antilochus*, ſeu *Antilogus*. Et Sectæ, ut videtur, *Epicureæ*. Nec enim *Hæreſis* alterius quàm ſuæ conditorem pro *citimo* ſuæ Hiſtoriæ Philoſophorum *termino* habiturus erat. Nec tamen *longe* ab *Epicuri* memoriâ vixiſſe veriſimile eſt qui *Hiſtoriam* ſuam in *Epicuro* terminandam cenſuit. Cur ergo *nomen* illius inter *Epicuri diſcipulos* nuſpiam legimus? Fieri poteſt ut *præcipuos* duntaxat Scholæ *Epicureæ* præſides complexi fuerint *Catalogorum* Auctores. Utcunque tamen ipſe Operis titulus Ἱςόρων his, quibus *Antilochum* aſſignamus, *temporibus* ſatis aptè convenit. Rei enim *literariæ* peritiam denotat in *univerſum*, non autem ſolius *Hiſtoriæ*, qui uſus erat

Dionyſ. Halicarnaſ. περ. συνθ. ὀνομ. p. 5. l. 20.

erat vocis receptiſſimus temporibus *Antilocho* recentioribus, ut in *Solini* videmus *Polyhiſtore.* Et ne quidem rerum *Philoſophicarum* cognitionem denotat è variarum gentium *Traditionibus Peregrinationibúſque* collectam, qualis illa fuit Magiſtrorum *Vetuſtiſſimorum Democriti*, ipſiuſque *Pythagoræ*, quos item ἱστορίας nomine celebratos fuiſſe obſervavimus. Sed Peregrinationes, *Eruditionis ergô*, nullas *Epicurum* obiiſſe legimus. *Media* ergo hæc eſt vocis ejuſdem ſignificatio, *mediorumque* proinde nota *temporum.* Sic autem fiet ut in *tempora* omnium *excultiſſima* inciderit hic *Antilochus*, conſtitutis jam in uſum hominum Eruditorum publicis *Bibliothecis*, & *præmiis ſtipendiiſque* eorundem diligentiam excitaturis, & *Grammaticis* rem *literariam publicam*, præſertim *Hiſtoricam*, magno jam numero promoventibus; majorumque *errores*, quibus deerant *Bibliothecæ*, collatis invicem diverſarum *ætatum regionúmque* monumentis magis indies magiſque patefacientibus, ſub *ſecundo* jam *tertióve Ptolemæo.* Fecerunt hæc ut magis fuerint *ipſi* audiendi quàm eorum *majores.*

19\. Nec eſt (quod putat Vir doctiſſimus) *noſtris* rationibus contrarius *Dionyſius Halicarnaſſæus*, quem & *nos* Scriptorem *accuratiſſimum* agnoſcimus. Pugnat ille *Numæ* Præceptorem *malè* afferi *Pythagoram Philoſophum* Argumento à *Chronologiâ* deducto. *Numam* cœpiſſe ait *Olymp.* XVI. 3. Pro noſtris

Γενεῶν numero non *certus* aliquis *annorum* numerus deſignatur in Scriptoribus *antiquiſſimis*, ſed *Succeſſorum.*

noſtris Epochæ *Catonianæ*, (quam ſequitur *Dionyſius*) rationibus accuratiſſime. *Pythagoram* contrà μετὰ τὴν πεντεκοςὴν Ὀλυμπιάδα in *Italiâ* διατρίψαι. Proinde ἡλικίαν Pythagoræ quatuor integris γενεαῖς juniorem pronunciat, μετὰ τέσσαρας γενεὰς ἀκμάσαντα. Fruſtra hic è quatuor γενεῶν annis mentem *Dionyſij* elicit doctiſſimus *Bentleius*. Ipſe ſuæ potius ſententiæ *Dionyſius* interpres audiendus eſt. *Quarta* à *Numâ* γενεὰ *quarti* erat à *Numâ Regis Romani Servij* nempe *Tullij*, cujus initium *Olymp.* L. 4. aſſignat ipſe *Dionyſius*. Id quoque rectè pro *Tabulis* noſtris, quà annorum *initia* cenſentur à *Palilibus*. Sic convenit cum *Livio*, qui ſequitur etiam ipſe *eandem* cum *Dionyſianâ* Epocham *Catonianam*. Nam & ipſe *Pythagoram*, *Servio Tullio regnante Romæ, centum amplius poſt* [*Numam*] *annos in ultimâ Italiæ orâ juvenum æmulantium ſtudia & cœtus habuiſſe* credidit. Hîc ſane manifeſtum eſt ab *initio* Numæ ad *Servij Tullij* ſimiliter *initium* calculum procedere, & γενεῶν proinde nomine non certum aliquem *annorum* numerum intelligi, ſed *quartum* tantummodo in διαδοχῇ *ſucceſſorem*. Et quidem illum iſtiuſmodi qui *non* fuerit *ejuſdem* cum *deceſſore ſtirpis*. Nam nec communem cum *Numâ ſtirpem* habebat *Tullus Hoſtilius*, nec cum *Hoſtilio Ancus Marcius*, nec cum *Marcio Tarquinius Priſcus*, nec cum *Priſco Servius Tullius*. Nec *unus* inter illos erat deceſſoris *filius*, qui ad γενεὰν *alteram* ſtrictiſſimè

Dyonyſ. L. II. — *Dionyſ. L. IV.* — *Liv. L. I. c. 18.*

ſtrictiſſimè dictam pertinuerit. Itaque *acutiores* ſunt, quàm *ſolidiores*, quâ quidem ad
noſtram *cauſam* ſpectant, Viri Eruditi minutiæ. Et multa ſunt apud *Dionyſium* exem- *Dionyſ.* L. I.
pla quibus γενεᾶς eodem modò intellexerit. p. 2.
Medorum Regnum ἐπὶ τῆς τετάρτης γενεᾶς diſſolutum obſervavit. Hæ γενεαὶ *Dejocis* erant,
Phraortis, *Cyaxaris* & *Aſtyagis*. Sic XVI.
γενεᾷ ab Excidio *Trojano Romam* conditam *Dionyſ.* L. I.
ſtatuit ſæpe *Dionyſius*, cum fuerit *Romulus* p. 8. l. 19.
L. II. p. 77.
ab *Æneâ* ſucceſſor reverà XVI^us^. Fruſtra l. 44. L. I.
autem ſunt qui lectionem illam ad γενεῶν p. 36. l. 2.
annos exigunt, qui *varij* admodum erant, pro variis *Auctorum* ſententiis, nec alibi locum apud *antiquos* habebant niſi cum *laterent* certi annorum numeri quibus *Succeſſor* quiſque tenuerit. Exemplum manifeſtum in eo, quòd adventum *Æneæ* ſub *Latino*
δευτέρᾳ poſt *Herculem* γενεᾷ aſſignat, anno *Dionyſ.* L. I.
autem LV. Hæc certè diſtributio nulli p. 35. l. 30,
γενεᾶς *calculo* convenit, cum nullus ad *anni* 31.
fractiones deſcenderit. Sic filium *Æneæ*
δευτέρᾳ γενεᾷ μετὰ τὸν Ἰλιακὸν πόλεμον γενεᾷ *Dionyſ.* L. I.
è Scriptore antiquiſſimo idem *Dionyſius* ob- p. 58. l. 6.
ſervavit, *Cephalone* nempe *Gergithio*. Inde intelligimus *vetuſtiſſimam* eſſe hanc, de quâ agimus, γενεᾶς *ſignificationem*. Sic ab *Æneæ* filio γενεὰν XV^m^. numerat ad *Urbem Conditam*. Ita ſibi conſtat *Dionyſius* dum XVI^m^.
numerat, eodem filio *incluſo*. Ita *tertium* Ap. *Dionyſ.*
Romanorum Regem *Tullum Hoſtilium* pro L. III. p.
tertiâ γενεᾷ cenſet apud eundem *Dionyſium* 140. l. 23.

Rex *Albanus*. Ex his itaque magis *exploratis* exemplis ſententia ferenda eſt de exemplis *minùs exploratis* ejuſdem *Dionyſij*. Illud ſane manifeſtum eſt cum γενεῶν numerum Excidium *Trojanum* Præcedentium, pro *Catonis* Cenſoris & *Sempronij* mente deſig-
Dionyſ. L. I. nare vellet, partim illum *hominibus*, partim
p. 9. l. 23, 28. inde γενεαῖς deſignaſſe. Nam ab *Ægeo* quintum numerat *Oenotrum*, inde autem ad *Ilij* cladem γενεὰς XVII. *Tantundem* ergo apud illum valet numerus in *ſtirpe*, ſeu aliâ aliquâ *Succeſſione*, *hominum* atque γενεῶν. Nec aliter unquam è *Succeſſorum* numero annorum *Succeſſionis* cujuſlibet numerum in univerſum colligit *Herodotus*, niſi cum *ſingulorum* numeri *nulli* innoteſcerent. Et ne quidem ita ullos alia quàm *rotundos*, quique in partes poſſent invicem *æquales* pro γενεῶν numero diſtribui. Malè ergo ex his γενεῶν *numeris* Leges dat *certiori Chronologiæ* Vir doctus, cùm ſint ipſi omnium *incertiſſimi*. Cæterùm, ut ad *cauſam* redeam, unde ſum digreſſus, conſtat *initium Servij Tullij* in animo habuiſſe *Dionyſium*. Proinde conſentaneum erat ut *initium Pythagoræ* in animo habuerit, ut *initio Numæ* tanto recentiorem probaret *originem Pythagoræ*. Tantundem ergo hoc ipſo in loco valebit *natalis Pythagoræ* ejuſdemque ἀκμήν, ut proinde non ſit *Dionyſius* de *mediâ* aliquâ *ætatis* parte intelligendus. Non tamen proinde colligendum, *primo* Servij Tullij *anno*, & quidem *priori*

illius

illius anni *parte* (quæ *ſola* locum in *Olympiade* L^{a} habebat) *natum* eſſe *Pythagoram*. Id potiùs volebat, & è *Græcis* qui *Pythagoræ* natalem tradiderant, colligebat, rerum *Romanarum* potiente *Servio Tullio*, *natum* eſſe *Pythagoram*. Nempe *Olympiadem* illam, quæcunque demum fuerit, quàm *Pythagoræ natalitia Græci* exiſtimabant, in *Servij Tullij* Regnum incidiſſe, ut docuerant illi qui Res *Græcorum Olympiadibus* conſignatas cum *Romanorum* Epochâ aliquâ ab *Urbe Conditâ* contenderant. Hinc ergo colligebat, utcunque varia ſenſiſſent Autores de *Olympiade*, *annoque Olympiadis*, quo fuerit editus in lucem *Philoſophus*; certe *Olympiade* L^{a} *antiquiorem* ejus *natalem* ne quidem eſſe potuiſſe ut in *Servij Tullij* Regnum incurreret, cum illâ *Olympiade deſinente* cœperit ipſe *Tullius*. Imo de *Regnante*, non autem Regnare *incipiente Servio Tullio*, interpretatur ipſe *Livius*. In eo tamen *lapſus*, quòd *Tullio Regnante cœtus in Italiâ habuiſſe* crediderit. Potuit ergo, pro hujus *Ratiocinij* tenore, *poſt* illam *Olympiadem*, quæ noſtra eſt ſententia, *naſci Pythagoras*, non autem *antea*, quod volunt Amici Adverſarij. Et verò ἀκμῆς, ſeu ἡλικίας, ſeu γενεᾶς notam fuiſſe aliquando *Natalem* jam antea probavimus. Imo hac ipſâ in cauſâ ita rem habuiſſe, è *Plutarchi* loco colligimus quem obſervavit Dominus ipſe *Bentleius*. Quinque γενεαῖς *Numa* recentiorem *Pythagoram* facit *Plutarchus*,

tarchus, quem cum *Dionyſio* fruſtra conciliare conatur Dominus *Bentleius*, quaſi pro aliâ γενεᾶς menſurâ ita ſtatuiſſet *Plutarchus* calculumque ad eundem duxiſſet terminum quem *Dionyſius*. Nos ità meliùs invicem conciliandos exiſtimamus. *Pythagoræ* ἡλικίαν *Dionyſius* à *natali* cenſebat, *Plutarchus* ab *Adventu* in *Italiam*. Ita *quintæ* à *Numa* γενεᾷ *Adventum Pythagoræ* in *Italiam* aſſignârit non incommodè *Plutarchus*, *quinto* ſcilicet à Numâ *Regi* Tarquinio Superbo. Ita ante *Plutarchum Cicero*. *Pherecydem* quidem *Syrium Pythagoræ* Magiſtrum ſub *Rege* ſtatuit ſibi cognomine *Tullio*, ipſum autem
Tuſc. Qu. L. I. c. 10. *Pythagoram Superbo regnante in Italiam veniſſe* arbitratur. Nec longe abit *Solinus* qui
Solin. c. 17. *Bruto* demum *Conſule* in *Italiam* adventum cenſet. Ita fortaſſe *Ciceronis* locum alium intellexit quo *tempus* ejuſdem *Philoſophi*
Tuſc. Qu. L. IV. 1. ita deſignavit: *Fuit* (inquit) *in Italiâ temporibus iiſdem, quibus L. Brutus patriam liberavit.* Non tamen obſervavit, quantùm invicem duo illa diſcreparent: tum in *Italiâ fuiſſe Pythagoram*, & tum demum *in Italiam advectum eſſe*. Verum autem eſſe quod dicit *Cicero*, tum ſaltem in *Italiâ fuiſſe Pythagoram*, è *Diodoro* probavimus.

20. *Notæ omnes ætatis quâ vixit Pythagoras Philoſophus* Ἀκμῆς ergo, ἡλικίας, γενεᾶς, γνωρίσεως, (hæ enim fere ſunt antiquiſſimis hiſce *Pythagoræ* temporibus notæ *Chronologicæ*) *Pythagoræ* notæ erant *multæ*, aliæ è *natalibus* ductæ;

ductæ; aliæ à *Præceptoribus*; aliæ è *tyrannide Polycratis Samij* ὑποφυομένῃ, συντονωτέρᾳ, ἀκμαζούσῃ, fratriſque qui *Polycrati* ſucceſſit, *Syloſontis*; aliæ ab illius *Peregrinationibus* in *Ægyptum*, in *Italiam*, per ipſam *Græciam*; aliæ è *Captivitate* ejuſdem *Babylonicâ*; ab ipſo *anno*, quo *periiſſe* dicitur alia, prælioque cum *Syracuſanis*; à tot *annis vitæ*, quorum meminit *Jamblichus*, omnes noſtris rationibus conſentientiſſimæ. Edant vel *unicam* Adverſarij, quæ *Philoſophi* ſit propria, nec alterius fuerit cum Philoſopho *cognominis Pythagoræ*, quæ cum noſtris *pugnet* rationibus. *Pugilem* certe *Veterum* plerique *alium* à *Philoſopho* fatentur, ſiquis fortaſſis fuerit vel *unus* qui *ratiociniis* à *nominum* ſimilitudine ductis *eundem* fecerint. Edant vel *unum* qui *Olympiade* L^a. *antiquiorem* fecerit *Philoſophi* vel *natalem*. Numerus certè *Plinianus*, *Olymp.* XLII. quâ obſervationem *Pythagoræ Aſtronomicam* ſtatuunt hodierni Codices, verus eſſe non poteſt, ne quidem pro *Adverſariorum* hypotheſibus. Neminem certè novit *Clemens Alexandrinus*, in tanta Veterum *diſcordiâ*, qui illâ, quàm dixi, *Olympiade* L^a. antiquiorem *Philoſophum* exiſtimârit. Is enim *Olymp.* XLVIII. 1^m. non *Pythagorâ* modò, verum etiam *Thalete Pythagoræ Præceptore*, & coævis *Thaleti* reliquis *Sapientibus* antiquiorem exiſtimat. Ita vir in omnimodâ *Lectione* verſatiſſimus. Neminem ergo cognovit Auctorem celebrem qui *Pugilem*

à *Veteribus* traditæ cum *noſtris* conveniunt, non autem cum *Adverſariorum*, hypotheſibus.

Clem. Alex. Strom. I. p. 143.

gilem Pythagoram hac ipsâ *Olympiade ineunte* in universâ *Græciâ* celeberrimum habuerit pro *Philoſopho.* Qui enim *Adagio* cauſam dedit de *Samio comato*, qui vicerit in *Olympiis* non Adverſarios modò, verùm etiam Spectatorum Judicumque ſpem omnem atque expectationem, qui vixdum *Pueritiâ* egreſſus *Viros* vicerit *ætatis* robore vigentiſſimos; non potuit is latere, non potuit ubique tot nominibus non eſſe notiſſimus. Erat illa certe *Pueritiam* egreſſa ἡλικία propriè ſic dicta, etiam pro *Adverſariorum* rationibus.

21. *Diſcordia illa quæ in Jamblicho apparet, non ipſi tamen Jamblicho. Sed Auctoribus, quorum fidem eſt ſecutus, imputanda eſt.*

Sed notas, fateor, *temporis* quo floruit *Pythagoras Philoſophus*, accuratiſſimas debemus *Jamblicho*, cui *fidem* derogant noſtri, in hâc causâ, amici *Adverſarij.* Cur ita, quæſo? *Philoſophus* erat ipſe *Jamblichus*, plane talis qualem volunt fuiſſe *Pythagoram*, θεουργικῶν ἀρετῶν nomine celeberrimus, paſſimque à ſuis θειότατος appellatur. Tantúmne virum deditâ operâ *mendacem* exiſtimabimus? Non equidem, forſitan, abſurdè, ſiquo demum deceptorum *commodo* errorem cenſuiſſent compenſandum. Erant enim in eâ ſententiâ magni quoque optimique Philoſophi fallendos eſſe homines quoties errantium *intereſſet* ut fallerentur; nec alienum eſſe à viri quantumvis *gravis* officio, ſi hujuſmodi erroris *officioſi* miniméque pœnitendi *auctor* etiam *ſuaſorque* fuiſſet. Ita certè

cum

eum ſuis *Plato*, nec aliis, ut videtur, ducibus quam *Pythagoræis*, quibus plurimum à *Platone* delatum eſſe certiſſimum eſt. Nec enim video quò *fabulas* ſuas de *Pythagorâ Philoſopho* retulerint *Pythagoræi* præterquam ad augendam Præceptoris *reverentiam*, quæ etiam ipſa maximè contulerit ad ſtabiliendam Sectæ *diſciplinam*. *Ætas* autem *Pythagoræ* nec ad *laudem* illius ſpectabat nec *vituperium*. Proinde nullum erat *auctæ* lucrum, nec *diminutæ* operæ pretium. Nihil plane video cur hos annos aliter quàm apud Auctores repererat, deſignaret *Jamblichus*, quos nobis favere, *ætatique Pythagoræ* à *nobis* conſtitutæ, ne quidem ipſi negant Adverſarij. Videamus autem quo pacto *malam*, quam tribuunt *Jamblicho*, *fidem* evincant. Ait, fateor, *Jamblichus*, Stadionice *Eryxidâ*, *Olymp.* LXII. in *Italiam* veniſſe *Pythagoram*, quem noſtræ eodem appuliſſe ante *Olymp.* LXVII. ne quidem *ferant* rationes. Inde rectè colligent, alium *noſtrum* eſſe calculum à calculo *Jamblichi*, non autem ipſum *pugnare* ſecum *Jamblichum*, qui nuſpiam illud aſſeruit, quod *nos ratiociniis* elicuimus, tam ſerò *Pythagoram* in *Italiam* adveniſſe. Sic nullum erit *teſtimonium* illius *teſtimonio alteri* contrarium quo *falſi* convincatur. Sunt quidem, fateor, alia in *Jamblicho* quæ per *conſequentiam* evertant illam *Jamblichi* ſententiam, oſtendantque vera omnia eſſe ne quidem eſſe potuiſſe quæ variis in locis è

Vit. Pyth. c. 7. p. 47.

variis excerpſit *Auctoribus*. Sed fidei *ejus* fraudi eſſe non debet, ſi *deceſſorum ſententias* fideliter repræſentârit quantumcunque *invicem diſcrepantes*. Penes *Auctores* fidem eſſe æquum eſt quæcunque *alienâ* narrat *fide*, hauſta nimirum ex *antiquioribus* ſe *Auctoribus*. Ipſe ſuo munere defunctus eſt ſi, cum *ipſi* invicem diſſenſerint, *ſententias* eorundem retulerit, quales ab *Auctoribus* prodierint, ſimiliter *diſſentaneas*. Imo in *Hiſtoriâ* (qualem illam fuiſſe probavimus) Auctorum diſcordiis *difficili* ac *incertâ*, ne quidem *fidi Interpretis* muneri ſatisfeciſſet ſi nulla *diſcordiarum* veſtigia in eo apparuiſſent. Noſtrum eſt de Auctoribus *judicare*, cui potiùs *fides* adhibenda ſit. Noſtram *internoſcere* quæ è probis fideque dignis *monumentis* emanârint; quæ viceversâ juniorum *conjecturis* ortum debuerint, incertiſque à magno poſt res geſtas intervallo *ratiociniis*. Facile autem eſt in hâc, de quâ agimus, *causâ* erroris ipſum *fontem* aperire. Obſervaverat *Ariſtoxenus* caußam diſeſſûs in *Italiam*, συντονωτέραν ſcilicet *Polycratis tyrannidem*, anno *Pythagoræ* XL°. contigiſſe, qui cum *Olympiadis* LXII. ¾. concurrit pro noſtris *Tabulis*. Nec enim *quoti* Olympiadis *anni* nota eſt in *Eryxidâ* Stadionice, ſed ipſius duntaxat *Olympiadis*. Tum cœpit *exilium* è *Samo* patriâ *Pythagoræ Philoſophi*, unde poſt annos exilij *multos* conſilium ortum eſt diſcedendi tandem in *Italiam*. Malè tamen inde poſteri argumentabantur, tum

Ap Porph. Vit. Pyth. p. 184.

profectio-

profectionem in *Italiam* contigiſſe cum prima *Pythagoræ* naſceretur occaſio cur tandem de itinere in *Italiam* cogitârit. Hoc non dixerat uſpiam *Ariſtoxenus*, ſed ex *Ariſtoxeno* perperam intellecto hauſerunt *Grammatici* juniores *contra mentem* ipſius *Ariſtoxeni*. Siqua ergo hujus *Ratiocinij* culpa ſit, *Jamblicho* tamen imputanda non eſt qui *teſtis* ipſe *primarius* non eſt, ſed *fidem* neceſſe habet ſequi *alienam*. Facilis illa eſt, quam dixi, *occaſio erroris* in *re geſtâ* quæ *vitæ anno* aſſignanda ſit. Non item adeo facile *certos* vitæ *annos* deſignare quibus *res* quæque *geſtæ* tribuendæ fuerint ſi *nulli* emanâſſent è *coævis proximiſve* monumentis. Imo *annum vitæ* XL^m. tradidit, uti vidimus, *Ariſtoxenus* quo ſaltem *Pythagoras* è *Samo* patriâ diſceſſerit. Nihil ergo vetat, quin & *alios* illos vitæ *annos* quorum memoriam debemus *Jamblicho*, docuerit ſeu *Ariſtoxenus*, ſeu par *Ariſtoxeno* vel *Superior* Veterum alius.

Sed quæcunque in *Laertio* hodierno non reperiuntur, ea omnia ab *Iamblicho* conficta arbitrantur. Quaſi verò neminem haberet *Jamblichus Auctorem*, quem in rebus *Pythagoræ* ſequeretur, præter *Laertium*. Quaſi *unus* ille *Laertius* ſic *Veterum* Scripta *omnium* compilaſſet de *Philoſophis* ut, pro ſuſpecto futilique *commento* ſit habendum ſi quid habeat de antiquiſſimis *Philoſophis* quod non hauſerit è *Laertio*. Quaſi ea ſaltem de *Laertio* recepta ſit 22. Habuit ſuos quoq; *Auctores Jamblichus*, ne quidem ipſe *Laertio* multò *junior*.

ſit opinio cum ſcriberet *Jamblichus*. Perperam hæc omnia. Sic enim *Laertium* negligit *Jamblichus* quaſi ne quidem illud exploratum habuerit, ullúſne unquam fuerit in rerum naturâ *Laertius*. Nunquam enim illum advocat, uti ne quidem *Porphyrius Jamblicho* Præceptor. Quem enim teſtem de *Pythagorâ* adducit *Porphyrius Diogenem* alius erat à *Laertio*, *Antonius* nempe *Diogenes* qui de *Incredibilibus* ſcripſit *ultra Thulem*, de quo *Photius* multa, & *Porphyrius* ipſe verbis expreſſiſſimis. Nec *verba Diogenis illius* in noſtro leguntur *Laertio*. Nec fuerat *noſter Diogenis* nomine appellandus, pro recentiori nominum *Romanorum* diſciplinâ, ſed *Laertij*, *poſtroni* nempe *nominis*, ut probavit ad *Sidonium* doctiſſimus *Sirmondus*. Nec aliter *noſtrum*, quàm *Laertij*, nomine advocant *Veteres* qui mentionem *illius diſertam* habent. *Antonius* autem *Diogenes*, non aliter fuit quàm *Diogenis* nomine, pro eadem diſciplinâ, advocandus. Sed mirum eſt profectò, ſi tum innotuiſſet *Laertius*, nuſpiam illos *mentione* dignatos collectorem, ſaltem de Philoſophis, omnium, quos quidem ſcimus, accuratiſſimum. Nec verò quicquam video quo receptam ſententiam tueantur quæ *antiquiorem Jamblicho* facit *Laertium*. Nemi-nem certè *Sopatro* antiquiorem reperire potuit *Jonſius* qui *Laertium* de *nomine* advocârit. Hunc autem advocâſſe docet *Photius*. Vixit ille occiditque ſub *Conſtantino Magno*, teſte *Eunapio*.

Jonſ. Scrip. tor. Hiſt. Philoſ. L.III.c.12.

Cod. CLXI.

Eunapio. Non me quidem fugit ſub *Juliani* Apoſtatæ *nomine* extare ad *Jamblichum* Epiſtolas, quas tamen mihi diu ſuſpectas eſſe fateor. Agunt certè omnes de Argumentis admodùm levibus *Sophiſtâ* profectò, quàm *Principe*, dignioribus. Negotium in illis *ſerium* nullum eſt, & *ſtyli* curam majorem ſapiunt quàm quæ *deceat* vel *Philoſophum*. Præcipuum verò in illas Argumentum illud eſt *neglectæ Chronologiæ*. *Sopatrum* hic *redivivum* legimus quem tamen ſub *Conſtantino Magno* interfectum diximus. Nec ullum Principis Chriſtiani veſtigium eſt in vitis *Porphyrij* & *Jamblichi*, quales deſcribuntur ab *Eunapio*. Alium enim à *Philoſopho*, *Porphyrium Optatianum*, fuiſſe qui ſub *Conſtantino Magno* exulavit, apud Eruditos in confeſſo eſt. Nec ſane *Conſtantini* tempora attigiſſe *Jamblichum* ex *Eunapio* colligimus. *Ædeſium* enim *Jamblichi* diſcipulum *grandævum* facit cum à *puero Juliano* viſitaretur, tum quoque defectionem *meditante* à *Chriſtianâ*, quam eouſque profeſſus fuerat, *Religione*. Qui hoc ipſum obſervatu dignum cenſuit *Eunapius*, ægrè profectò familiaritatem *Jamblichi* cum *Juliano Principe* reticuiſſet, ſi tanta fuiſſet quantum ſupponunt *Epiſtolæ* à *Sophiſtâ* confictæ. Nec puto *Leges* de *Magiâ* & *Veneficis* effugiſſent *Jamblichi* illæ tam celebres θεεργίαι quarum meminit *Eunapius*, *Chriſtianis* Principibus Reipublicæ præfectis, odioſoque apud *Chriſtianos* nomine *Philoſophi*. Nec ſane *Conſtantino*

Laert. IX. c. 116. *tino Magno*, multo antiquior potuit eſſe *Laertius.* Succeſſionem *Pyrrhoniorum* & *Empiricorum* ab *Antiocho Laodiceno* ſitæ ad *Lycum* fluvium *Laodiceæ* ita deducit, ut primi fuerint poſt illum *Menodotus Nicomedienſis* Medicus *Empiricus*, & *Theiodas Laodicenus*, proximus hiſce ſucceſſerit *Herodotus Tarſenſis Ariei* filius, *Herodoto Sextus Empiricus*, Περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων. *Sexto* prætereà *Saturninus Cythenas. Priorum duorum* meminit *Galenus*, poſtea quam *Romam* à *Marco* evocaretur, anno quo mortuus eſt *Aquileiæ Verus*, Æræ noſtræ *Chriſtianæ* CLXIX. Et *Sexti* mentio eſt Libro qui νόθοις accenſetur, Εἰσαγωγῇ vel Ἰατρῷ, quaſi qui *Hæreſim* apud *Medicos Empiricam* poſt *Menodotum*, in quem ſcripſit *Galenus* ipſe, admodum ſtabilierit. Verba ſunt : Μεθ' ὃς Μηνόδοτος καὶ Σέξτος, οἳ καὶ ἀκριβῶς ἐκράτυναν αὐτήν. Succeſſor ergo nemo *Menodoto junior* innotuit *Galeno*, ne quidem *Sextus*, quem, prætermiſſo *Herodoto*, memoriâ clariſſimâ dignum cenſuit *junior* ille *Galeno* Scriptor qui ſua edidit ſub nomine *Galeni. Tertius* autem eſt à memoriâ *Galeni* ſucceſſor *Saturninus Cythenas*, quem ab utroque prætermiſſum memorat *Laertius.* Verba illius ita ſe habent : Σέξτου δὲ διήκουσε Σατουρνῖνος ὁ Κυθηνᾶς, ἐμπειρικὸς καὶ αὐτός. Nihil habet quo tum quoque cum illa commentaretur *Laertius* innuat vixiſſe *Saturninum.* Potius *Auctoris* quem, hoc in loco excerpſit *Laertius*, *ætate* vixiſſe crediderim. Alienum enim

enim eſt à more *Laertij* ut Philoſophorum *Succeſſiones* ad *ſua* uſque *tempora* deduceret. Quod igitur hoc in loco aliter, quàm pro more ſuo fecerit, *Auctori* cujus fidem ſecutus eſt, potiùs quàm *conſilio* ſuo, tribuendum erat. Vix certè potuit *Laertium* ignorare, ſeu *Porphyrius*, ſeu *Jamblichus*, ſi tum proſtitiſſet, quem paulo poſtea compertum habuit *Sopater* diſcipulus *Porphyrij* & condiſcipulus *Jamblichi*. Vix potuit alteruter ab illius *mentione* temperare, quem *nuperrimâ memoriâ* ſciviſſet Scripta de *Philoſophis* in univerſum compilâſſe omnium ſuſiſſimé. *Coævum* ergo illum cum *utroque*, ni fallor, rectiſſimè exiſtimabimus. Sic nullum erit à *Laertij* ſilentio Argumentum, ſi tum vixerit uterque cum vixit ipſe ſcripſitque *Laertius*. Fidem enim eandem merebuntur cum *Laertio* qui eoſdem habuerint *Auctores* quos habuit *Laertius*. Unum certè advocat *Porphyrius* qui de *Pythagorâ* & *Pythagoræis* egerit accuratiſſimè, *Laertio* ipſi longe anteponendum, nec tamen unquam advocatum à *Laertio*. Hic *Moderatus* erat *Gaditanus*. De illo ita *Porphyrius*: Μοδέρατος ὁ ἐκ Γαδείρων πάνυ συνετῶς ἐν ἕνδεκα βιβλίοις συναγαγὼν τὸ ἀρέσκον τοῖς ἀνδράσι. *Magnificum* eſt, & *Judicis* ſuo Seculo *peritiſſimi*, Elogium. Egit hic Author de *Pythagora* longè, quàm *Laertius* ipſe, copioſiús. Nec *judicio* inferior *Laertio*, cujus *diligentiam judicio* anteferendam nemo neſcit. *Ætate* etiam *Laertio*

Porphyr. Vit. Pyth. p. 202.

ſuperior,

ſuperior, pro receptâ quoque ſententiâ quæ *Laertium*, quàm reverâ fuit, *antiquiorem* exiſtimat. Hoc etiam probavit Cl. *Jonſius*, vel *Jonſii* nomine, veriùs fortaſſe *Marquardus Gudius*. Potuit ergo eoſdem *teſtes* appellare quos *Laertius*, *aliíque*, ſi qui medio ſpatio perierint inter *Neronem*, quo Imperante vixit *Moderatus*, ætatémque *Laertij*. Nec latuit proculdubio *Jamblichum*, qui tanti fecit Præceptorem *Porphyrium*, in Scriptis *Porphyrij* verſatiſſimum. Miſſum facio ejuſdem *Moderati*, apud S. *Hieronymum*, encomium à *Styli* potius laude petitum quàm *peritiâ*. Inde tamen conſtat *utrumque punctum* tuliſſe *Moderatum*. Mitto & *alios Auctores* quos habebant *Porphyrius* & *Jamblichus* communes cum *Laertio*. Nempe *Porphyrij Antiphontem*, *Apollonium*, *Ariſtoxenum*, *Ariſtotelem*, *Dicæarchum*, *Duridem Samium*, *Empedoclem*, *Eudoxum*, *Hippobotum*, *Cleanthem*, *Neanthem*, *Nicomachum*, *Timæum*. Advocat etiam *Jamblichus* ipſe *Apollonium*, *Ariſtoxenum*, *Ariſtotelem*, *Archelaum*, *Empedoclem*, *Epimenidem*, *Epicharmum*, *Eudoxum*, *Hippobotum*, *Lyſidem Tarentinum*, *Neanthem*, *Nicomachum*, *Xenocratem*, *Parmenidem*, ipſum *Pythagoram* è *Scriptis* quæ illius nomine ferebantur, aliaque *veterum Pythagoræorum* Scripta. Mitto, præter *Moderatum*, *Antonium Diogenem* & *Lycum Porphyrij*; & *Jamblichi Androcydem*, quos ne quidem conſtat ad manus perveniſſe *Laertij*. Satis ni fallor, hæc oſtendunt, ut nihil debuerint

Jonſ. de Scriptor. Hiſt. Philoſoph. L. III. c. 5.

buerint *Laertio Porphyrius* vel *Jamblichus*, ſatis tamen idoneos habuiſſe *fidei* ſuæ *teſtes*, & ne quidem illis *inferiores* quos vidit aut excerpſit ipſe *Laertius.* Fruſtra ergo Adverſarij ea omnia pro *ſuſpectis* habent quæ ſervarunt *Porphyrius* & *Jamblichus*, nec tamen hauſta è *Laertio.* Multa paſſim apud Veteres legimus quorum nemo *teſtes* fuiſſe dubitat, cum tamen ipſi *teſtium nomina* non ediderint. Imo longe *plura* quàm quæ *teſtium nominibus* disertè conſignârint.

Omnium verò, quæ dixi in noſtris rationibus illud difficillimum eſſe fateor, quòd *Lyſidem Pythagoræ* diſcipulum *Epaminondæ* Magiſtrum exiſtimârim. Videamus ergo quæ *Veterum* teſtimonia ſint quæ nos cogant ne ita ſe rem habuiſſe deinceps exiſtimemus. *Lyſidem* illum *Pythagoræum* agnoſcunt *Cicero*, *Cornelius Nepos*, ſaltem ab *Æmilio Probo* interpolatus, aliique. Et verò propriam quandam ſingularemque obtinet vox illa ſignificationem, quà quidem uſurpari ſolebat in illius Sectæ diſciplinâ. *Pythagoræorum* nomine γνησίυς diſcipulos intelligit *Jamblichus*, quorum communis eſſet ἐσία & συμβίωσις, qui ſcilicet Præceptoris votis per omnia paruerint, *primæ* admiſſionis *diſcipulos*, arcanorumque *participes* διὰ παντὸς τȣ̃ χρόνυ. Hos *Pythagoriſtis* opponit, qui *extra* collegium agerent, collegarum *æmuli*, propriiſque *poſſeſſionibus* pro arbitrio *fruentes*, nec *myſtarum* arctio-

23. Erat revera *Lyſis* ille qui *Epaminondam* docuit, diſcipulus *Pythagoræ.*

Jamblich. Vit. Pyth. c.18.p.84.

arctioribus regulis aſtricti. Sic *Jamblichus*. Sed poſt mortem *Pythagoræ Philoſophi* corpus hoc *ſanctioris diſciplinæ* etiamnum perſtitiſſe certiſſimum eſt cum nulli eſſent ad *Sectæ parentem* aditus. Eſt autem alia apud alios diviſio trimembris, *Pythagoricorum*, *Pythagoræorum*, & *Pythagoriſtarum*, quos ita invicem diſtinguunt: Σὺν μὲν αὐτῷ τῷ Πυθαγόρᾳ οἱ γενόμενοι ἐκαλοῦντο Πυθαγορικοί· οἱ δὲ τούτων μαθηταὶ, Πυθαγόρειοι· οἱ δὲ ἄλλως ἔξωθεν ζηλωταὶ, Πυθαγορισταί. Verba ſunt Auctoris Anonymi apud *Photium*, ſententia autem *Suidæ* & Scholiaſtæ in *Theocritum*. Hunc ſi *vocum uſum* ſequamur, hoc ipſo nomine *Lyſis* erit ab eorum numero excludendus qui *ipſum* audierint *Philoſophum*, quòd fuerit tantummodo *Pythagoræus*. Propterea enim *Pythagoricus* non habebitur, quòd *ipſum* non audierit *Magiſtrum*. Propterea *uno* ſaltem *gradu* in Scholæ διαδοχῇ inferior, quòd non fuerit *Pythagoræ diſcipulus*, ſed eorum qui *Pythagoram* audierant *diſcipulorum Pythagoricorum*. Fieri etiam poteſt ut ne quidem *proximum* à *Philoſopho* gradum tenuerit, ſed *remotiorem*, ſub alio aliquo *Scholæ Pythagoricæ* præſide *medio* inter *Pythagoram* eumque quem audierit *Lyſis*. Nec enim à *ſequentium graduum* diſcipulis diſtinguitur nomine *Pythagoræi*, ſed à *Pythagoriſtis*, Sectæ tantummodo candidatis, nondum in *ſanctiorem* Sectæ *diſciplinam* admiſſis. Sed harum vocum *propriam* illam *ſignificationem* à nuperæ Scholæ

Phot. Cod. 259.

Suid. Πυθαγ.

Schol. in *Theocrit.* Eidyl. XIV.

Pytha-

Pythagoraæ, quæ paulo ante *Plutarchum* eſt exorta, natam arbitror. *Gradus* enim eſt omnium ignobiliſſimus eorum qui *Pythagoriſtarum* nomine cenſentur. Et tamen hoc ipſo nomine *Pythagoræ diſcipulos* quantumvis celebres lacerant *Comœdi*, proximi nimirum Auctor ipſius temporibus *Philoſophi*. Hoc enim titulo *Dramata* inſcribunt quibus *Hæreſin Philoſophi* univerſam inſectantur. Et Πυθαγόρειον βίȣ τρόπον communem omnibus à Seculo *Pythagoræ* ad *ſua* uſque tempora cenſet *Plato*. Conſtat, uti vidimus, ex ipſo *Plutarcho*, in *Sectas* invicem diverſas diſceſſiſſe *nuperos* illos *Pythagoræos*. Ita ſcilicet, ut qui *puri* ab *animalium cæde* manſerint, ij ſeſe pro γνησίοις *Pythagoræ diſcipulis* haberi vellent, atque adeo *Pythagoræis*; qui autem à communis Præceptoris diſciplinâ in illo animalium piaculo *diſceſſiſſent*, illos ne quidem *Pythagoræorum* nomine cenſuerint, ſed tantummodo *Pythagoriſtarum*. Itaque ne quidem ἐσωτερικὰ Sectæ *Myſteria* illis credebant, ſed duntaxat ἐξωτερικὰ, quaſi βεβήλοις, extraque *Adyti* fores excluſis. Proinde ex *Hiſtoricis Pythagoræ memoriæ proximis*, nihil eſt quod colligere liceat, è nomine illo nudo *Pythagoræi*, num ipſum *Lyſis* audierit *Philoſophum*, an illo potiùs *extincto* Sectæ nomen dederit. Et ne quidem è *juniorum* teſtimoniis aliud exinde colligemus, quàm quòd illum pro *genuino* Sectæ *diſcipulo* habuerint, non autem pro *Myſteriorum proditore*, receptarúmve

Plato Polit. X. p. 464. Edit. *Baſil.*

rimve Sectæ Traditionum *corruptore.* Hinc autem de *ætate* illius nullum prorſus erit Argumentum. Nec propiora *Pauſanias.* *Lyſidem* ait ἄνδρα γένος fuiſſe Ταραντῖνον, ἐπιςάμενον δὲ τῶν Πυθαγόρου τῶν Σαμίου λόγους. De eo nihil, an ab *ipſo* didicerit *Pythagorâ*, an potius ab alio aliquo Philoſophi *diſcipulo.* In eo plus eſt quòd *Lyſidem* γνώριμον τοῦ Πυθαγόρου agnoſcat *Ælianus.* Si nempe verbo uſus fuerit Auctoris è quo illa deſcripſerit, nec aliud illius loco repoſuerit *vocum* auceps *Sophiſta*, quod ſibi videretur Ἀττικώτερον & *primariis Atticiſmi* fontibus convenientius. Certè in διαδοχαῖς *primarij* Sectæ cujuſque *diſcipuli* γνώριμοι habentur quà à *junioribus* internoſcendi ſunt. Quòd ſcilicet Sectæ *conditori* innotuerint, Traditioneſque Sectæ à *primo* Traditionum *fonte* illibatas hauſerint. Iidem plane qui literis *prophanis* φοιτηταὶ & ἀκουςαὶ, ſacris autem αὐτόπται appellantur. Ita *Clemens Alexandrinus* Vir doctiſſimus & hujus Scholarum diſciplinæ callentiſſimus. Apud illum *Domini* noſtri γνώριμοι audiunt qui illum *ipſum* audiverunt. Et *Theodatis* Præceptor *Valentini* Apoſtoli S. *Pauli* γνώριμος apud *Hæreticos* venditatur. Hoc nempe fine ut *contrariam Eccleſiæ* diſciplinam, *contrariam Scriptis*, quæ extabant, ipſius *Apoſtoli*, ab *ore* tamen *Apoſtoli* hauſiſſe crederetur. Ita quidem quoties cum *aliis* conferendi eſſent *ejuſdem* Sectæ *condiſcipulis*, non item cum

Pauſan. Bœotic. p. 291.

Ælian. Var. Hiſt. L. 3. c. 17.

Strom. VI. p. 288. l. 4. Edit. *Commelin.*

Strom. VII. p. 325. l. 12.

extraneis

extraneis duntaxat opponuntur. Sic enim Sectæ aſſeclæ *omnes* pro γνωρίμοις habendi quà tantundem valet tantummodo quod *diſcipuli.* Sic *Iſraelitas* omnes *Moſis* γνωρίμους appellat *Philo.* Nec quicquam vetat quo minùs ita *vocem* intellexerit *Ælianus.* Majus adhuc eſt quòd *Pythagoræ auditorem* S. *Hiero-nym.* Ap. II. *Lyſidem* nuncupârit S. *Hieronymus.* Majus adv. *Rufin.* quòd *Pythagoricum Lyſidem* agnoſcat *Laertius,* non autem tantummodo *Pythagoræum.* Hoc enim nomine *Pythagorici* ipſius *Philoſophi* auditores veniſſe jam oſtendimus è recentiorum *Pythagoræorum* ſtylo qui tamen *antiquiores* erant *Laertio.* Majus quòd *Libros Pythagoræ Magiſtri* nomine *ſcripſerit,* quando periculum erat ne Sectæ dogmatumque memoria penitus *intercideret.* Nec enim aliorum erat quàm *primariorum* Sectæ diſcipulorum teſtari de *arcanâ* Sectæ diſciplinâ *nullis* antea *ſcriptis* monumentis, vel ſaltem *nullis* quæ antea publicè extabant, conſignatâ. Nec enim pro ſuis *inventis* haberi volebant *Scriptorum Auctores* quæ ipſi *Scriptis* mandabant, ſed pro *antiquis* Sectæ *Traditionibus.* Ea autem Quæſtio cum *Facti* eſſet, proinde alios *teſtes* ne quidem admittebat quàm qui *ipſum* audiverint *Philoſophum.*

Maximum verò omnium Argumentum 24. eſt, quòd *incendio Cyloniano Lyſidem* elapſum *Lyſidem* eſſe tradant, quod quidem *incendium*, *Py-* *Pythagoræum* inter *thagorâ* etiamnum *ſuperſtite*, omnes hactenus *Olymp.* 97. $\frac{1}{4}$ & 97. $\frac{3}{4}$.

agnoverint. Hoc Argumentum ut ſolvatur, Domino *Bentleio*, pariter ac *nobis*, incumbit. Quod tamen fieri non poteſt, ſi de *Pythagorâ Philoſopho* intelligatur, pro *antiquioribus* Adverſariorum rationibus. Noſtras autem, quò ſunt *ſeriores*, eò, in hac causâ, *utiliores* eſſe conſtat. Utcunque tamen videamus, quà licet ex *Hiſtoriæ hodiernæ* monumentis, quantum concedi neceſſe ſit in hac primâ Scholæ *Pythagoricæ* ſucceſſione *intervallum*, ad *mortem* uſque *Lyſidis*. Hunc enim *terminum* ponit *Diodorus*, quà quidem ad *Thebanos* attinebat. Eſt enim alioqui certum *multis* poſtea *annis* in *Italiâ* fuiſſe *Pythagoræos*. Nobis autem, qui de *Lyſide* agimus, is limes obſervandus erit. Hæc *Diodorus Olymp.* CIII.3. pro more ſuo quo multa ſolet *alienis annis* narrare quorum *verum annum* ignoravit. *Finis Lyſidis* ex *Epaminondæ* & *Philippi Macedonis* ætate explorandus eſt, qui ambo *Lyſidem Thebis* educatorem habebant. *Philippum* autem *Thebanis* obſidem ab *Illyriis* traditum docet *Diodorus*. Et quidem ſub *Amyntâ* patre. Tum ſcilicet, cum victo *Amynta* ſufficeretur in illius locum per biennium *Argeus*. Hoc nos *biennium*, in *Annalibus Thucydideis*, commodiori, niſi fallimur, loco inſeruimus quàm ipſe *Diodorus*. Ille 2° *Amyntæ* anno inſerendum cenſuit. Nos potius VI° ab *Olymp.* 97. ½. ad *Olymp.* 97. ¾. Tum certè *patri Epaminondæ* creditam educandi *Philippi* curam agnoſcit *Diodorus*. Satis

viz. inter ann. U. C. *Varr.* 363, & 365. audiverunt *Philippus Macedo* & *Epaminondas*. Mortuus *Lyſis*, *Ol.* 100. ½. U.C. *Varr.* 375. *Nuncium* de *Lyſide Thebis* agente attulit *Gorgias*, *Ol.* 88. ½. U.C. *Varr.* 327. *Athenis* reverſus.

Diodor. L. XVI. *Ol.* 105. 1.

Ann. ant. *Chriſt.* 454.

Satis nempe commodè ut ſocium æmulumque ſub *Lyſidis* diſciplinâ haberet *Epaminondam*. Egit tum *Epaminondas* annum *ætatis* ad minimum XIX$^{m.}$ prælio *Leuctrico Olymp.* 102. $\frac{2}{3}$. *quadragenarius*, teſte *Plutarcho*. Nec *multo* proinde *minor* potuit eſſe *Philippus* ut *æmulum* in ſtudiis haberet *Epaminondam* ſub inſtitutore *Pythagoræo*. Fallitur ergo Vir doctus cum ad annum retulit *Olymp*. 102. 4. *Philippi* hanc, de qua loquimur, ſub *Lyſide* inſtitutionem. Tum *quadragenario major* erat *Epaminondas*, & in *Republicâ* clarus prælio *Leuctrico*, *maturiórque* quàm ut in *Scholâ Philoſophi* verſaretur. Datum tamen tum quoque *obſidem Philippum* fateor. Non tamen *Polymnidi*, ſed *Pammeni*, teſte in *Pelopidæ* vitâ ipſo *Plutarcho*. Tum nec ulla *mentio* auditi à *Philippo Lyſidis*, nec ulla ſane eſſe *potuit*. Anno enim receptæ à *Pelopidâ Cadmeæ*, quem nos ann. *Olymp*. 102. $\frac{1}{2}$. in Annalibus *Xenophonteis* fuiſſe probavimus, venit in *Græciam Theanor*, miſſus ab *Italiæ Pythagoræis*, antea monitis in *ſomnio* de *exceſſu Lyſidis*. Potuit ergo anno aliquo *præcedenti* deceſſiſſe, *Lyſis*, *hunc* ne quidem *potuit* ſuperare. Nedum illum audire *Philippus* cum *ſecundò obſes*, non jam à *Patre*, ſed à *Fratre*, traderetur. Malè ergo XL. & VII. *annorum Philippum* tradit deceſſiſſe *Juſtinus*. Sic enim nec *Lyſidem* audire, nec ſub eo æmulum *Epaminondam* habere *potuit*. Error erit in

Plutarch. de Gen. Socrat.

Juſtin. L. IX. c. 8.

in numero facillimus ſi pro LX. librarius XL. repoſuerit. Sic item rectè procedent omnia. *Interfectus* eſt *Philippus* anno U. C. *Varroniano* 418. *Olymp.* 111. ¼. *Natus* proinde anno *Varroniano* 351. *Olymp.* 94. ½. Sic annum egerit cum *Lyſidi* inſtituendus daretur, XII^m. annum *ætatis* etiam XIX^m. agente *Epaminondâ*. Conveniunt ſatis accuratè, pro *noſtris* condiſcipulorum *ætates*, non autem pro *rationibus* Cl. *Bentleij*. Illo ergo ipſo anno *Olymp.* 100. ½. U. C. *Varr.* 375. mortuus eſt *Lyſis*, anno fortaſſis *ineunte*. *Poſteriori* enim anni *parte Olymp.* 100. 2. *occupatam* probavimus à *Pelopidâ Cadmeam*. De *morte* autem *Lyſidis* per *ſomnium* moniti ſunt in *Italiâ Pythagoræi* antea quàm iter illud ſuſciperet *Theanor*. Hunc ergo annum, quo exceſſit *Lyſis*, pro citimo prædicti intervalli termino habebimus. Et *ſenem* fuiſſe, cum excederet, omnes agnoſcunt. Illud præterea docet hoc in loco *Plutarchus Areſæ* tempore Cathedram *Pythagoræorum Crotonienſem* obtinentis *Thebas* ex *Italiâ* miſſum eſſe *Theanorem*. Nec enim alius eſt *Arceſus Plutarchi*. Hunc *Sextum* à *Pythagorâ* numerat *Jamblichus*, *quintum* verò tantummodo ſi è numero *excludatur* ipſe *Pythagoras*. Et quidem ita, ut non *diu* in Cathedræ ſucceſſione ipſe fuerit *Areſas* cum mitteretur ab illo *Theanor*. Suſtulerat enim patriæ *Crotonis* everſæ dolor *Tydam Areſæ* deceſſorem teſte *Jamblicho*. Hoc *Olymp.* XCVIII. 1.

Jamblich. Vit. Pyth. c.36 p.22.

Dionyſia

Dionyſio tyranno auctore, contigiſſe refert D. *Bentleius.* Et quidem, auctore *Diodoro.* Sed anno illo de exciſâ *Crotone* nihil *Diodorus.* Claſſem autem *Italicam Crotone* emiſſam ab eo profligatam refert *Olymp.* 97. 3. Tum verò à *Rheginis* repulſus eſt *fugatuſque*, ante *hyemem*, eodem teſte *Diodoro.* Deinde legatos *Gallorum* qui *ante menſes Romam incenderant, ſocietatem amicitiamque ejus petentes* illum *adiiſſe* Auctor eſt è *Trogo Juſtinus* Juſtin. XX. 5. Hinc obiter ſententia noſtra de *Epochâ Varronianâ* omnium veriſſimâ egregiè confirmatur. Annum enim Urbis *Romanæ exciſæ* à *Gallis* eundem fuiſſe qui à *Conditâ* fuerit 364. *oſtendimus*, qui reſpondebat *Olymp.* 97. $\frac{3}{4}$. Rectiſſimé. Menſe enim *Quinctili* exciſâ Urbe, hoc anno proinde *deſinente menſes* aliquot ab *excidio* effluxerant ingruente *hyeme.* Eorum ſcilicet quos VII. in *Romanæ Urbis* ruderibus agebant *Galli.* Sequitur deinde in Juſtino: *Grata legatio Dionyſio fuit. Ita pactâ ſocietate, & auxiliis Gallorum auctus, bellum velut ex integro reſtaurat.* Hic qui, poſt *hyemem* ſequebatur, annus Urbis *Romanæ* 365. erat pro calculo *Varroniano*, reſpondebatque *Olymp.* 97. $\frac{4}{4}$. Et quidem anno illius *Olympiadis* IV°. magnam *Dionyſij* in *Crotonienſes* victoriam narrat *Diodorus*, quæ proinde ſatis commodè ad anni *Juliani finem* referenda ſit. Inde per annos XII. in *Dionyſij* poteſtate *Crotonienſes* teſtatur *Dionyſius Halicarnaſſæus.* Hi, ſi in Epochâ *Catonianâ* nume- *Dionyſ. Halicarnaſ.* Excerpt. *Porphyr.* p. 538.

numerentur ab *excidio* Urbis *Catoniano*, in annum deſinent Epochæ *Catonianæ* U. C. 377. qui idem erat *Varronianus* 376. ut è noſtris conſtat *Tabulis*. Eſt enim ille ſimiliter XII^{us} ab anno U. C. 364. quo *Urbem incenſam* credebant *Varroniani*. Is *Olymp.* 100. $\frac{2}{3}$. reſpondebat pro ſitu *Varroniano*. Satis tamen commodè præcedentibus *Olympiadum* annis 100. $\frac{1}{2}$. reſpondebit annus à prædictâ Epochâ XII^{us}. ſi terminus uterque *includatur*, annuſque XII^{us} inchoatus duntaxat intelligatur. Hic ipſe annus eſt quo miſſus eſt ab *Italicis Pythagoræis* in *Græciam Theanor*. Hæc ergo erat *Dionyſij* tyrannis de quâ loquitur *Plutarchus* quæ obſtiterit quo minùs *Thebas* ad viſendum *Lyſidem* ipſe navigârit *Areſas*. Eſt tamen fateor cur dubitemus an tum quoque Cathedrâ *Crotonienſi* potitus fuerit *Areſas*. *Crotonis exciſæ* tempore *Bulagoram* IV^{us} Scholæ *Crotonienſis* moderatorem præfuiſſe docet *Jamblichus*, verumque agnoſcit D. *Bentleius*. Poſtea, urbem tenente *Dionyſio* reverſus è Peregrinatione *Tydas Bulagoræ* ſucceſſit. Sed extinctus *dolore* patriæ libertate imminutæ. Et morte *Pythagoræis* immaturâ quibus ἔθος erat γεραιοῖς σφόδρα γενομένοις ὥσπερ ἐκ δεσμῶν τοῦ σώματος ἀπαλλάττεσθαι, eodem teſte *Jamblicho*. Poſt illum χρόνῳ ὕστερον è *Lucaniâ Crotonem* vocatus eſt *Areſas*. Propter *Bella* & *tyrannidem* moram illam fuiſſe veriſimile eſt. Sic elapſis forte XII. illis, Urbe jam *libertati* reſtitutâ, ſucceſſerit

Jamblich. p. 220. Vit. *Pyth.* c. 36.

ceſſerit *Areſas* poſt illam *Theanoris* legationem. Et ſane aliquanto *junior* erat qui *Areſæ* ſucceſſit *Diodorus Aſpendius.* Poſt *ortum* certè *Cynicorum*, & tamen ante *Archeſtratum* Poëtam diſcipulum *Epicuri*, qui quanquam illius *meminit*, non tamen quaſi etiamnum *viveret*, ut credidit D. *Bentleius.* Eſt autem alius, neſcio quis, *antiquior Diodorus*, quem antiquioribus *Pythagoræis* accenſere videtur *Jamblichus* Vit. *Pythag.* c. 35. p. 215. Videndum an de illo cogitârit *Archeſtratus.* Diu tamen *antea* de *Lyſide Thebis* verſante reſcivit *Areſas.* Hoc enim didicit à *Gorgiâ Leontino* è *Græciâ* in *Siciliam* redeunte, teſte ubi ſuprà *Plutarcho.* *Gorgiæ* meminit ad *Olymp.* 86. 1. in Chronico *Euſebius.* *Adventum* illius in *Græciam*, ni fallor, innuit. Nec multo *ſerius* venire potuit ut *Thucydidem* & *Periclem* in arte ſuâ *Diſcipulos* jam γηράσκοντας haberet. *Tertio* certè Belli *Peloponneſiaci* anno *mortuus* eſt *Pericles*, & quidem *poſteriori* anni *Juliani* parte quæ cum *Olymp.* 87. 4. concurrebat, ut oſtendimus in *Annalibus Thucydideis.* Nec *ſeriùs* ut *Thucydidem* in *vivis* reperiret. Intelligo enim potiùs de *ſeniori*, qui *Pericli* par fuiſſe videtur, & in *Republicâ* gerendâ æmulus, *Thucydide*, quàm de noſtro *Hiſtorico.* Quanquam enim ϛρατηγίαν ipſe etiam obierit *Hiſtoricus*, interque εὐπατρίδας eximium locum teneret, cum tamen decederet *Pericles*, non multo *quadragenario* major erat, quæ ætas *Periclis* ætate

ætate inferior erat, nec facile pro *ſenectute* agnoſcenda. *Tempus* autem quo *redierit* in patriam *Gorgias*, docet *Diodorus*. Tum enim *rediiſſe* teſtatur cum *Oratoriæ* artis ſpecimine edito *patriæ* cauſam egiſſet apud *Athenienſes*, & auxilia *Leontinis* mittenda impetrâſſet, quod V$^{o.}$ *Belli* anno aſſignat *Thucydides* qui *Olymp.* 88. $\frac{1}{2}$. conveniebat, *Olympiadis* autem 88. 2. *Diodorus*, ut *poſteriori* anni *parte* proinde contigerit. Verba *Diodori* ſunt : Τέλος πείσας τοὺς Ἀθηναίους συμμαχῆσαι τοῖς Λεοντίνοις, οὗτος μὲν θαυμασθεὶς ἐν ταῖς Ἀθήναις ἐπὶ τέχνῃ ῥητορικῇ, τὴν εἰς Λεοντίνους ἐπάνοδον ἐποιήσατο. Tum ergo didicit *Areſas* in *Thebis* verſari *Lyſidem*. Erantque tum in ætate *Puerili* Gorgiæ auditores *Alcibiades* atque *Critias*. Annum autem ætatis VIII$^{m.}$ attigerat *Iſocrates*, qui etiam *Gorgiam puer* audiviſſe dicitur. Et tamen πολὺν χρόνον tum elapſum eſſe teſtatur *Plutarchus* ex quo latuerat *Lyſis*, à tempore nimirum *incendij Cyloniani*. Ætas illa *Ariſtophanis* eſt, & ne quidem ab *anno* longe abeſt quo docuit Νεφέλας. *Secunda* illius *Dramatis* Editio ſub *Archonte* fuiſſe dicitur *Aminiâ*, anno *exeunte*, *Dionyſiis* ἐν ἄστει, proinde *Olymp.* 89. 2. anno *Varroniano* 332. qui *Olymp.* 89. $\frac{2}{3}$. convenit. Tum *Socratis* Scholam à *Strepſiade* incenſam fabulatur, pro illo *incendij* in *Italiâ Cyloniani*, ut videtur, *exemplo*. Tum ergo *incendij* fama *Athenas* emanaverat. *Primâ* autem ejuſdem

Dramatis

Dramatis editione num emanârit incertum eſt. *Partem* certè *illam* de *Scholæ Socratis incendio* in *priori Editione* locum nullum habuiſſe obſervavit *Scholiaſtes*. Neſcio tamen num inde colligere liceat tum de *incendio Cyloniano* nondum *Athenienſes* reſciviſſe cum *primâ* vice *Nubes* doceret *Ariſtophanes*. Nam *Lyſidem* certè jam ante *annos* aliquot *Thebis* repererat *Gorgias*, nunciuſque erat *reperti* relictis in *Italiæ Pythagoræis*. Aliunde ergo indagemus.

Peracto *incendio*, duos tantummodo *elapſos* omnes agnoſcunt. Sed quis fuerit *Lyſidis* in fugâ *comes* invicem diſſentiunt. Alij *Archippum* fuiſſe volunt, *Archytam* alij, *Plutarchus* verò *Philolaum*. Hi, cum ſe in tuta recepiſſent, expectabant aliquantiſper an forte facinoris in ſocios editi pœniteret cives *Crotoniatas*. Γενομένε δὲ τέτε, καὶ λόγον ἐδένα ποιησαμένων τῶν πολλῶν περὶ τε̃ συμβάντος πάθες, ἐπαύσαντο τῆς ἐπιμελείας οἱ Πυθαγόρειοι. Ita rem è *Cyloniorum* ipſorum *fide* narrat *Jamblichus*. Id ſcilicet vult, cum de *neglectâ* cæde conſtitiſſet, tum deinde curam Urbis *Crotonienſis* omnem abjeciſſe *Pythagoræos*, & ſuæ *saluti*, quà licuit, conſuluiſſe. Itaque, excepto *Archytâ*, reliquos ex *Italiâ* docet diſceſſiſſe *Pythagoræos*. Verba ſunt : Οἱ δὲ λοιποὶ τῶν Πυθαγορείων ἀπέστησαν τῆς Ἰταλίας, p. 209. Hæc ille, ut videtur, ex *Ariſtoxeno*, cujus diſertam habet *mentionem*, p. 210. Tum quoque tamen aliquantiſper,

25. Incendium *Cylonianum* circa *Olymp.* 83.$\frac{3}{4}$. U.C. *Varr.* 309.

tiſper expectâſſe *Rhegij*, ibique διατριβὰς (quæ *Scholæ* erant) habuiſſe. Rebus verò in *deterius* procedentibus, προϊόντος ἢ τοῦ χρόνου, tum demum ex *Italiâ* diſcedunt, p. 209. Tandem ἐπιγινομένων πολλῶν ἐτῶν, p. 218. ſubit *Crotoniatas* pœnitentia, miſſique in *Achaiam* legati qui *Exules* revocarent *Pythagoræos*. Hæc forte è *Crotoniatarum* ὑπομνήμασι, quorum ibidem mentionem legimus. Hinc obiter intelligimus quàm immeritò *Jamblichum* ſpernant Adverſarij, qui *meliores* habuit, quàm *Laertius*, Auctores. Et in *Achaiâ Peloponneſiacâ* dicitur fuiſſe *Lyſis*, p. 209. Imo διατρίψαι, & *Scholam* ibi adeo habuiſſe antea quàm redirent *ſocij*. De *hoc reditu* intelligendus eſt proculdubiò prædicto loco *Plutarchus*; ubi de *ſocio* loquitur *Lyſidis* in fugâ *Philolao*: Φιλόλαος μὲν εἰς Λευκανοὺς φυγὼν, ἐκεῖθεν (inquit) ἐσώθη πρὸς τοὺς ἄλλους φίλους ἤδη πάλιν ἀθροιζομένους καὶ κρατοῦντας τῶν Κυλωνείων. Ab illo ergo demum *tempore* neſciebant, ubi lateret *Lyſis*, fratres illius in *Italiâ Pythagoræi*. Nam certiſſimos habebant de eo *nuncios*, qui illum in *Achaiâ* viderant, reverſos ex *Achaiâ* fratres *Lyſidis*, & in ὁμακοεῖῳ collegas, *Pythagoræos*. Hoc autem neſciebant, quo ſe *Lyſis* ex *Achaiâ* receperit. Idque illos neſciviſſe neceſſe erat ſi tum *Lyſis* ex *Achaiâ Thebas* migrârit cum *exules rediiſſent* in *Italiam*. Utcunque tamen jam *Thebis* agebat *Lyſis* cum rediret *Gorgias*, antea quàm naſceretur *Epaminondas*. Nec alibi

alibi illum præterquam *Thebis* vidiſſe ſe profitebatur *Gorgias.* Neſcio tamen rectène inde colligere liceat, tum quoque cum *Gorgias* in *Græciam* navigaret, *Thebis* fuiſſe *Lyſidem.* Favet tamen fortaſſe πολὺς χρόνος *Plutarchi* quo *locus,* ubi fuit *Lyſis*, latuerit collegas illius in *Italiâ Pythagoræos.* Sed *octo* fuit ad minimum *annorum* ſpatium quo *Gorgias* artem ſuam in *Græciâ* profeſſus eſt, pro temporibus *aditûs reditûſque* jam probatis, quod rectè potuit pro πολλῷ χρόνῳ haberi quo nuncium de *Lyſide* nullum acceperant. Hoc ſi verum, jam ante *Olymp.* 86. 1. (quo diximus in *Græciam* veniſſe *Gorgiam*) jam *revocati* fuerint ab *exilio* à *Crotonienſibus Pythagoræi.* Hic annus erat ante *mortem Lyſidis*, ad minimum LVI. ante *finem Bulagoræ* XLVI. Et tamen *tum* quoque ſupererant πολλὰ ἔτη & περιϊὼν χρόνος ad *incendium Cylonianum* quo *Lyſis* fuerat *fugatus* ex *Italiâ.* Νέος autem dicitur *incendio* illo fuiſſe *Lyſis.* Præ illâ nimirum *ætate* quam habebant *Pythagoræ coævi*, proximique *ætate* Diſcipuli. Intelligitur enim νεότης illa de *ætate* omnium *robuſtiſſimâ.* Idem enim cum fugæ ſocio τελεώτατοι καὶ εὐρωστότατοι appellantur ab *Jamblicho.* Hæc enim *cauſa* fuiſſe innuitur cur nemo alius evaſerit, quòd *ſenilibus* annis feſſi *ætatem* illam ſuperârint. Manifeſtum eſt hîc intelligi *vigentiſſimam Juventutis* ἀκμὴν, quâ quidem in Catalogis militaribus *Juniorum*

Juniorum Seniorúmque centuriæ invicem opponuntur. Ea, quà per *quinquennia* in illis *Catalogis* invicem ſecernebantur, ad *ultimum* proculdubiò ſpectabat *Juventutis quinquennium*, quo *majores* centuriis *Seniorum* accenſebantur, nempe τεσσαρακονταπενταετῶν. Hos enim fuiſſe veriſimillimum eſt quos *electos* appellant *Sacræ literæ*, quique ſe in choreis *Lacedæmoniorum militaribus*, ſe jam in eâ ætate *eſſe* gloriabantur in quâ reliqui *fore* ſe vel *fuiſſe* tantummodo venditabant. Itaque *tricenario* ita major erat *Lyſis* cum *incendium Cylonianum* effugeret, ut *proximum* tamen à *tricenario quinquennium* nondum *ſuperârit*. Addantur ergo anni XXX. annis ad *Lyſidis* obitum LVI. annumque egerit *Lyſis*, cum moreretur, ſaltem LXXXVI. quæ *ætas* ſatis ampla erat ut *Longævis* accenſeretur, ſi quidem *nulli* fuiſſent his temporibus *longævi* extra Catalogos *Plinij*, *Phlegontis*, *Luciani* atque *Cenſorini*. Sed aliunde certum eſt multos fuiſſe præterea *longævos* in his Catalogis *omiſſos*, ut multi etiam recenſentur *illâ* ætate *juniores*. Et *vivaciſſimos* fuiſſe *Pythagoræos Tydæ* præproperæ *mortis* occaſione teſtatur *Jamblichus*. Et quidem ita ut *rarum* Tydæ inter illos fuiſſe ſignificârit *exemplum*. Nec enim obvium quemque, ſed probatiſſimos duntaxat animi corporiſque notis *Philoſophus* in ſuum admiſit ὁμακοεῖον, & *diſciplinâ* deinceps accuratiſſimâ exercuit: ne quid obſtaret quo minus *vitæ ſtamina* terminos

minos aſſequerentur quos poterant *ampliſſimos.* Nihil ergo ex his *Catalogis* opponendum eſt quo minùs fuerint, quæ diximus, veriſſima. Imo anni aliquot ætati *Lyſidis*, præter illos quos diximus, addendi ſunt propter ſpatium ab *incendio Cyloniano* ad *Gorgiæ* iter in *Græciam*, & ſi forte paucis annis major fuerit *Lyſis* in *incendio*. Demus X. nec *multo* fortaſſe *pauciores* patientur notæ illæ quas dedimus ex *Jamblicho*. Ita annum XCVI$^{m.}$ attigerit *Lyſis* cum decederet. Natus proinde *Olymp.* 76. ½. U.C. *Varr.* 279. Sic annum egerit XXX$^{m.}$ *Olymp.* 83. ¾. U. C. *Varr.* 309. Ut proinde *incendium* ipſum *Cylonianum* hac *Epochâ* multo *antiquius* eſſe ne quidem *potuerit*. Nec longe, ut opinor, errabimus ſi ita rem ſe habuiſſe exiſtimemus. Satis autem erit in his *incertæ Hiſtoriæ* temporibus ſi vel *proxime* ad ſcopum attigerimus. Sed pugnabunt, fateor, cum noſtris *Chronologiæ Pythagoræ* rationibus in ſuperiori Libro traditis. Videamus ergo quo pacto emendari poterunt quæ non poterunt defendi. Hoc enim *noſtrâ* intereſt pariter ac *Reipublicæ literariæ*.

26. Duo ergo hic ſunt à nobis denuo ad examen revocanda: de tempore *incendij Cyloniani*, & de *morte* ipſius *Philoſophi.* Serius enim ſtatuendum illud erit *incendium*, pro *Lyſidis* illâ, quam dedimus, *ætate*. *Novem* enim fere *Olympiadibus antiquior* illa eſt *incendij Cyloniani* Epocha à nobis in *Differta-*

> *Multis* poſt *Milonis* res in *Sybaritas* geſtis *annis* incendium erat *Pythagoraeorum* in *Mi-*

lonis domo congregatorum. Et ne *viro* quidem vel *Milone*, vel *Cylone*.

Diſſertationibus aſſignata hac quam *ſecundæ* ſuadent *cogitationes*. Ita annum *ætatis* CXLa. ſuperâſſe oportet *Lyſidem*, ſi vera fuiſſet Epocha *antiquior incendij*. Proinde *ſerioribus* temporibus admovendum eſt *incendium* potiùs quam *antiquioribus*, quod tamen facit D. *Bentleius*. Videamus ergo quid habeat quod in *contrarium* opponat. Unico teſtimonio nititur illius, quem alibi toties *ſpernendum* cenſuit, *Jamblichi*; nos autem *minimè negligendum*. Ait ſcilicet *Jamblichus* ſeditionem *Cylonis* reverentiâ *Pythagoræ* repreſſam dum *ipſe* coram ageret; poſtea illo *diſcedente*, & *peregrè* agente erupiſſe. Verba ſunt: Ἐπεὶ δὲ Σύβαριν ἐχειρώσαντο, κἀκεῖνος ἀπῆλθε, καὶ τὴν δορύκτητον διῳκήσαντο [τῷ] μὴ κατακληρουχηθῆναι κατὰ τὴν ἐπιθυμίαν τῶν πολλῶν, ἐξεῤῥάγη τὸ σιωπούμενον μῖσος, καὶ διέστη πρὸς αὐτοὺς τὸ πλῆθος, p. 213. Et *prælij* illius ad *Tetraentem* fluvium, quo *trecenta millia* à *decem millibus* victa ſunt, rurſus meminit inter Argumenta ſeditioſorum, p. 217. quod non aliud erat ab eo quo victi ſunt à *Crotonienſibus Sybaritæ*. Non tamen id quod exiſtimat D. *Bentleius*, teſtatur *Jamblichus*. Ait quidem tum primum concitatam à *Cylonianis* alienatamque paulliſper à *Magiſtratibus* Pythagoræis Crotonienſium *plebem*, ut *palam* ſe viris ſapientiſſimis infenſam oſtenderet. Sed multi erant præterea *gradus*, & *mora* admodum *diutina* antea quàm eo audaciæ procederent

ut

ut *incendium* molirentur. *Prælij* illius in *Sybaritas* & *victoriæ* pars maxima fuerat ipſe *Milo* in cujus domo collegæ *Milonis Pythagoræi incendio* extincti ſunt. Nulla tamen *Milonis* mentio eſt, quem tamen certum eſt *Sectæ* fuiſſe deditiſſimum. Credibile non eſt recenti tantæ *victoriæ* memoriâ adeo ingratos eſſe potuiſſe Cives *Crotoniatas* ut *Milonis* vel *domum* violarent. Credibile non eſt (ſi *gratitudinis* ſenſum omnem exuiſſent) id vel *auſuros* ſeditioſos, vel ſaltem impune laturos. Credibile non eſt, ſiquis fuiſſet in rebus humanis, quin per confertiſſimos ſeditioſorum cuneos viam ſimiliter patefacturus fuerit *Milo* (qui tot *Sybaritarum* turmas paulo antea proſtraverat) ut fecit cum *unico* fugæ *comite* ipſe *Lyſis*. Credibile non eſt *victoriæ* illius *mentione* concitari *plebem* à *ſeditioſis* potuiſſe in *auctorem* victoriæ *Milonem*. Facile hinc intelligimus multis à *Milonis*, & proinde à *prælij*, memoriâ *annis* tantam acceſſiſſe ſceleratis *audaciam* ut de *incendio* cogitarent. *Primam* porro illam *plebis* ſeditionem tum fuiſſe obſervavit *Jamblichus* cum de *agris Sybaritarum* dividendis ageretur. *Bello* ſcilicet *profligato*, & *pace* Reipublicæ reſtitutâ. *Incendium* contrà, cum de *novo Bello* conſilia inirentur, συνεδρευόντων Πυθαγορείων, καὶ βουλευομένων περὶ πολεμικῶν πραγμάτων, p. 208. Imo ortam à *Cylone* ſeditionem admodum *diutinam* fuiſſe ſatis apertè ſignificat *Jamblichus*. Cœpit quidem

à *Cylone*, tranſiit autem, *Cylone* ipſo, ut videtur, *mortuo* ad illius participes *Cylonios*. Cœpit viceverſâ ſub *Pythagorâ*, deſcendit verò ad *Pythagoræ* ſucceſſores in *Crotone Pythagoræos*. Verba *Jamblichi* in hanc ſententiam diſertiſſima ſunt : Οὕτω σφοδρά τις ἐγένετο καὶ ἄκρατος ἡ φιλοτιμία αὐτοῦ τε Κύλωνος καὶ τῶν μετ' ἐκείνου τεταγμένων, ὥστε διατεῖναι μέχρι τῶν τελευταίων Πυθαγορείων. Ita locum ipſe emendavit *Arcerius*. Utriuſque *partis* erant *ſucceſſores*, ut proinde ad *poſteros* diſcordia emanârit. Hoc ita verum erat ut ne quidem *vivo Cylone incendium* contigiſſe videatur. Proinde *Cyloniis incendium*, pro *Jamblichi* ſententiâ, tribuendum ipſe vidit *Arcerius*. *Cylonios* fuiſſe dicit *Jamblichus*, qui διετέλουν πρὸς Πυθαγορείους στασιάζοντες. Hoc nempe illis imputat quòd *cœptam* à *Cylone* ſeditionem ipſi *continuârint*. Hoc enim indicat vox διετέλουν, ne quidem cum *Cylonis vitâ* ſeditionem à *Cylone* ortam *intercidiſſe*. Et quidem huic *Cyloniorum* continuatæ ſeditioni imputat, quòd ad illum tandem finem pervenerit ut domum *Milonis* cum *Pythagoræis* in eâ conſultantibus *incenderint*. Hoc docet verbis illis : Τέλος δ', &c. *Diutinam* illam *ſeditionem* fuiſſe innuit, quæ tandem in hoc ultimo *ſcelere* deſierit. Alium præterea *Demagogum* ex *Apollonio* habet *Jamblichus*, præter *Cylonem* etiam *Ninonem*, qui *Adagio* locum fecerit, οὐ τάδε ἐστὶν ἐπὶ Νίνωνος, p. 219. Propter infamiam ſcelerum

illius

illius operâ Editorum, quaſi omnium *immaniſſimorum.* Quis dubitet in his locum vel *præcipuum* fuiſſe *incendio*, quo nullum fuit in omni illâ Tragœdiâ facinus atrocius? Ratio autem nulla eſt cur *Ninonis* nomen tulerit illud flagitium, ſi etiamnum fuiſſet in *vivis* primus ſeditionis Auctor malorumque, quæ ſecuta ſunt, omnium ipſe *Cylo.* Illum certè *Cyloni* junxit *Jamblichus*, p. 215. & quidem ex auctore, ut videtur, *Apollonio*, quaſi fuerit non eorundem tantummodo *conſiliorum*, verum etiam *Seculi* particeps. Quòd ergo *pulſorum Pythagoræorum* infamiam retulerit, in eo certe, ni fallor, innuitur, tum non ampliùs in *vivis* fuiſſe *Cylonem.* Legatur Cap. XXXV. *Jamblichi*, in quo pleniſſimam habemus *ſceleris* narrationem, & è *variis* optimiſque *Auctoribus.* Et facilè intelligetur, à *prodito* vulgi ſtudio cum *peregrinaretur Pythagoras*, poſt *prælium* cum *Sybaritis*, longum fuiſſe ſpatium quo certârint invicem *Pythagoræi* atque *Cylonij* uſque ad *incendium.* Poſtea ex *Italia* fugabantur *Pythagoræi* pene omnes, nec *turbas* dare vel reprimere antea poterant quàm *revocarentur* punitis *Cyloniis.* Nos unico duntaxat Argumento præterea utemur.

Extabat olim ſub *Pythagoræ* nomine libellus qui Ἱερὸς Λόγος inſcribebatur. Multi illum *Pythagoræ* tribuunt. Et *Perſonâ Pythagoræ* conceptum conſtat è fragmento illius apud 27. *Incendium Cyloniorum poſt mortem Py-*

thagoræ Philoſophi. Alius tamen erat *Pythagoras* Philoſophi *diſcipulus* quem *Lyſis* audierit.

apud *Jamblichum*, Cap. XXVIII. p. 135. Non tamen illud obſtabat quo minùs *aliis* etiam tribueretur *Pythagoræis*. Tam erat apud illos familiare ut Libros à ſe ſcriptos *Magiſtri* nomine inſcriberent, ut ſuprà vidimus. Alij ergo *Telaugi Pythagoræ* filio aſſignant, *Arignotæ* alij ejuſdem filiæ, alij *Cercopi*. Sic enim apud *Clementem Alexandrinum Epigenes*. Nec deerant qui *Hippaſo* potiùs attribuendum eſſe contenderent. Sed nec *Pythagoræ* fuiſſe, nec *genuini* cujuſvis *Pythagoræi*, loquebatur res ipſa manifeſtius quàm ut negari poſſet. Erat enim ἐπὶ διαβολῇ Πυθαγόρου, ipſo agnoſcente *Laertio*. Ita ſcilicet *diſciplinæ Pythagoreæ* peritiam præ ſe ferens, ut *arcana* ejus proderet, hoc ipſo conſilio ut vulgo *inviſam* propinaret, quod *veris Pythagoræis* ſceleratiſſimum habebatur. Rectiùs *ergo*, certè veriſimiliùs, *verum Auctorem* docuit *Jamblichus*, ſed verbis corruptis, nec intellectis ab Interprete. Nos ita dabimus ut legenda arbitramur: Μετὰ δὲ ταῦτα (inquit) συνιέντων τῶν πολλῶν διελόμενοι τὰς δημηγορίας κατηγόρουν αὐτῶν ἐκ τῶν ῥητόρων Κύλων καὶ Νίνων. Ἦν δὲ ὁ μὲν ἐκ τῶν εὐπόρων, ὁ δὲ ἐκ τῶν δημοτικῶν. Τοιούτων δὲ λόγων, μακροτέρων δὲ, παρὰ τοῦ Κύλωνος ῥηθέντων· ἐπῆγεν ἕτερος προσποιούμενος μὲν ἐξητηκέναι τὰ τῶν Πυθαγορείων ἀπόῤῥητα, περιπλακεὶς δὲ καὶ γεγραφὼς ἐξ ὧν μάλιστα αὐτοὺς ἤμελλε διαβάλλειν, καὶ διδοὺς τῷ γραμματεῖ βιβλίον ἐκέλευσεν ἀναγινώσκειν. Ἦν δὲ αὐτῷ ἐπιγραφὴ

Laert. VIII. 7.

Jamblich. Vit. *Pyth.* c. 35. p. 215, 216.

γραφὴ μὲν ΛΟ'ΓΟΣ ἹΕΡΟ'Σ. Ὁ δὲ τύπος τοιοῦτος τῶν γεγραμμένων, &c. "Poſtea verò "Plebe in Comitiis conveniente, partitis "inter ſe loquendi vicibus, accuſationem "in ipſos inſtituunt ex Oratoribus Cylo & "Nino. Erat autem è ditioribus Cylo, "Nino verò ex eorum numero quibus inter "Plebeios locus pro cenſu aſſignatus fuerat. "Dictis ergo, ſed fuſiùs, multis hoc accu-"ſandi conſilio à Cylone ſermonibus, ſuc-"ceſſit alter [*nempe Nino*] fingens ſe Py-"thagoræorum arcana indagâſſe, illa autem "potiſſimùm urgens ſcriptoque recenſens, "è quibus eos maximè eſſet traducturus, "traditoque Scribæ libello ut legeret oravit. "Sic autem ſe habebat libelli Inſcriptio, "SERMO SACER. Summa verò eorum "quæ ſcribebantur, hunc ſe habebat in "modum," *&c.* *Græca* hic emendavimus. Nec temerè à *Latinâ* etiam *Arcerij* interpretatione diſceſſimus. *Sententiam* tamen loci *aliam* repræſentavimus quàm intellexit *Arcerius.* Duos hic habemus in *Pythagoræos* Oratores junctis illos viribus ad *Populum* in *Comitiis* accuſantes, *Cylonem* & *Ninonem.* Hoc ergo certum, hanc cauſam in *Comitiis* ab utroque peroratam eſſe. *Iiſdémne* autem *Comitiis* perorata fuerit, hoc incertum arbitror. Imo veriſimilius arbitror *diverſa* potius fuiſſe *Comitia* quibus *diverſi* fuerint *Accuſatores.* Nec enim *plures* in *eadem* Actione *Accuſatores* antiquiſſimis his, in

quibus jam verſamur, temporibus obſervavi. *Divinatio* prævia erat inter *Ciceronem* & *Cæcilium*, cui potiùs accuſandi *Verris* officium demandandum eſſet. Plane non neceſſaria ſi per Leges licuiſſet ab *utroque* reum peragi. Nec aliter memini rem habuiſſe in antiquiſſimis Rhetorum *Græcorum* accuſationibus. Nuſpiam, opinor, legimus *uno* plures *Accuſatores*. Imo aliam illam *Ninonis Actionem* fuiſſe veriſimillimum eſt quæ *Ninoni* ſoli locum fecerit in *Adagio*, non item *Cyloni*. Hoc ergo vult, ni fallor, *Jamblichus*, cum alia omnia, & quidem longe plura, *Pythagoræis* objeciſſet *Cylo*, novam poſtea Accuſandi rationem inventam à *Ninone* quâ cœpta à *Cylone* Actio poſſet inſtaurari. Hoc enim indicat vox *ἐπῆγεν*. *Arcana* ſcilicet *Pythagoræorum* dogmata à ſe primo explorata profeſſus eſt, quæ eouſque omnes Sectæ *extraneos* latuerint, interque illos ipſum adeo *Cylonem*. Hæc ſe comperta habere ex eorum *Scripto*, tum demum à ſe in *lucem* prolato quod proinde cum Populo communicandum cenſuit, rogavitque ut à *Scribâ publico* legeretur in *Comitiis* ut omnibus innoteſceret. Hoc certè Scriptum *Pythagoræorum* haberi volebat cum à *Scribâ publico* ut legeretur, hortaretur. Sic enim Adverſariorum *confeſſiones* è *propriis* Adverſariorum *teſtimoniis* comprobandas à *Scribis publicis* legi ſolenne eſt apud *Oratores*. Inde *variæ* de Auctore *conjecturæ*, quòd *Nino* neminem certum

Scripti

Scripti à ſe prolati auctorem nominârit. Fecit apud prudentiores æquioreſque ut *ſuſpecta* eſſet Scripti fides quòd ab *Adverſariis* Hæreſin *accuſantibus* in publicum emanârit, quòd nemine prodito Auctore qui *Sectæ* Sacra *hoſtem* Sectæ edocuiſſet, quòd denique illa potiſſimùm dogmata complecteretur quæ *odium* Sectæ conflatura ſciebat adverſarius. Ea autem *dogmata* erant quibus *Sectæ charitatem* majori in pretio ſe habere docebant quàm vel *ſanguinis*, vel *affinitatis*, vel communis etiam *patriæ*; quòd ſuis honores *eximios* detulerint & prope *Divinos*, reliquos autem omnes cujuſcunque generis *cives* ſpernerent, exceptis tantummodo *parentibus*, nec meliori loco habuerint quàm *brutorum* animalium. Hæc hujus libelli erat origo. Verba autem poſtrema, Ὁ δὲ τύπος, τοιοῦτος, &c. oſtendunt eò ſpectare ſequentia ut Libelli Argumentum doceant *Pythagoræ* nomen falsò præ ſe ferentis, reverâ autem *Ninoniani*, quo tantum fuerit accenſum *Plebis* in *Pythagoræos* odium ut ad *incendium* uſque proceſſerit. Nec aliter, ut opinor, etiam præcedentia quæ eodem faciunt ad honorem Præceptoris ſupra modum augendum. Ait *Jamblichus*, Μηδένα τῶν Πυθαγορείων ὀνομάζειν Vit. Pyth. Πυθαγόραν, ἀλλὰ ζῶντα μὲν, ὁπότε βούλοιντο c. 35. p. 213. δηλῶσαι, καλεῖν αὐτὸν θεῖον· ἐπεὶ δὲ ἐτελεύτησεν ἐκεῖνον τὸν ἄνδρα. Plane pro diſciplinâ *Myſteriorum* quæ nefas eſſe ſtatuebat ſiquis *Myſtagogum*, qui ſe Myſteriis *initiâſſet*, de

nomine compellaret. Hæc ſi è *Sermone ſacro* hauſerit *Jamblichus*, Philoſopho Pythagorâ *mortuo* neceſſe erit fuiſſe inſtauratam illam *Ninonis* Actionem qui libellum illum *Pythagoræorum* nomine ſuppoſuit. *Abſentem* certè incendij tempore ipſum *Pythagoram* omnes
Vit. *Pyth.* c. 35. p. 207. agnoſcunt. *Jamblichus :* Ὅτι μὲν οὖν ἄποντος Πυθαγόρου ἐγένετο ἡ ἐπιβουλὴ, πάντες συνομολογοῦσι. De *cauſâ* autem aut *loco* in quo fuerit, invicem diſcrepabant, quod certe facit ut meritò ſuſpicemur tum illum non amplius fuiſſe *ſuperſtitem*. Et tamen tum fuiſſe *Pythagoram* cum *Lyſis* ex *incendio* elaberetur omnino veriſimile erit ſiquidem *Pythagoram* ipſe *Lyſis* audierit. Et quidem *Lyſidem* inter primarios *Pythagoræ* diſcipulos recenſet
Ibid. c. 23. p. 103. *Jamblichus*, qui παλαιότατοι erant, καὶ αὐτῷ συγχρονίσαντες καὶ μαθητεύσαντες τῷ Πυθαγόρᾳ πρεσβύτῃ νέοι. Parem ergo illum ibi facit *Ariſtæo* quem proximum *Pythagoræ* in Cathedrâ *Crotonienſi* ſucceſſorem ipſe agnoſcit *Jamblichus*. Videat ergo D. *Bentleius* quomodo è Scholæ *Pythagoreæ* ſucceſſione alium illum *Lyſidem* fuiſſe colligat. Facillime hæc, ut putò, omnia conciliabimus, ſi de *duplici* potiùs *Pythagorâ* hæc intelligamus, quorum alterum *audierit*, alterum ægrè *potuerit* audire *Lyſis*. Majorem enim, quem nos *Philoſophum* exiſtimamus, *Pythagoram*, in acie inter *Agrigentinos* & *Syracuſanos* ætatis anno XCIX. pro illâ *ætatis* Epochâ quam tot aliis notis firmaverat *Jamblichus*, cecidiſſe pro-

probavimus, è ſententiâ optimi accuratiſſimique Auctoris *Hermippi.* Hunc ergo eâ νεότητι nequidem potuit audire *Lyſis*, quæ erat ad viam vi patefaciendam in *incendio Cyloniano* plane neceſſaria. Sed alius erat, ut probavimus *Pythagoras* qui *juvenis* Philoſophum è *Samo* comitabatur in *Italiam*, quem nos etiam à *junioribus* cum *Philoſopho* eundem creditum evicimus. Nec quicquam obſtat quo minùs in annum à *Philoſophi* natali CXVII$^{m.}$ inciderit mors *Pythagoræ junioris.* Hoc ſi contigerit, inde facilis erat erroris occaſio quo *Philoſophus* ipſe annum vitæ CXVII$^{m.}$ propterea attigiſſe credebatur quòd eodem illo anno mortuus fuerit *alius* juniorque *Pythagoras* qui idem putabatur cum *Philoſopho.* Convenit præterea ſatis commodè *Pythagoræ junioris* ætas à nobis ſuprà deſignata. *Juniorem* enim *Philoſopho* annis fere XL. probavimus *minorem* illum Philoſopho *Pythagoram.* Sic fiet ut anno à *natali* Philoſophi CXVII. *ætatis* ſuæ annum LXXX$^{m.}$ vix attigerit *junior* ille *Pythagoras.* Potuit ergo *juniorem* illum *Pythagoram* audire *ſenem* juvenis ipſe *Lyſis*, ipſâ illâ quam deſcripſi *Juventute.* Nec erit cur *ætatem* illam *junioris* etiam *Pythagoræ* in *Sectâ* tam *vivaci* miremur. Eſt potiùs cur ſuſpicemur à *juniori* hoc *Pythagoræ* manâſſe illas *Ariſtoxeni* & *Xenophili* Traditiones quæ à *Philoſophi* inſtitutionibus ita abhorruerint.

Firmat

Gorgias natus *Ol.* 80. audiit *Empedoclem* natum *Ol.* $\frac{76}{77}$. $\frac{4}{1}$. *Empedocles* ipſe *Telaugem Pythagoræ* Philoſophi *filium* & *Pythagoram juniorem* audivit, *Olymp.* $\frac{81}{82}$. $\frac{4}{1}$. & *Parmenidem* natum *Ol.* 69. 2. & *Anaxagoram* natum *Ol.* $\frac{69}{70}$. $\frac{4}{1}$.

28. Firmat præterea quæ dixi ætas *Gorgiæ*, de quo modò egimus, Sophiſtæ. *Olympiadi* LXXX^a. illum aſſignat, neſcio quo Auctore, *Suidas*. Sic tamen ille ut monuerit *antiquiorem* illum haberi à *Porphyrio*. De *natali Gorgiæ* intelligendum eſſe vix eſt cur dubitemus. *Vivaciſſimum* illum Sophiſtam agnoſcunt omnes, nec anno, cum decederet, CX^o. multo minorem. Conficient anni vel *Olympiades* XXVII. & *duos* præterea *annos*. Sic itaque *Olymp*. CVII. attigerit præter propter. Ut mors *ejus* non admodum remota fuerit à morte *Platonis*, quæ *Olymp.* CVIII. 1. aſſignatur. Nec ſane notam aliquam *temporis*, quo vixerit Sophiſta, *ſeriorem* obſervavi dicteriis ejuſdem in *Platonem*. Dicteria illa multo recentiora erant *reditu* illius è *Græcia*. Fortaſſe in *Siciliâ*, cum *Dionyſium* bis conveniret *Plato*. Habuit proculdubiò rationes ſuas cur *antiquiorem* cenſuerit *ortum Gorgiæ* doctiſſimus *Porphyrius*. In illis forte, quòd majores ſe *natu* diſcipulos habuerit. Sed in novâ arte non eſt quòd illud admodum miremur. Utcunque tamen vix patiuntur termini à nobis poſiti ut error admodum inſignis ſit. Erat autem *Gorgiæ* Præceptor *Empedocles*, quem quidem *Empedoclem Pythagoræ diſcipulum* faciunt alij, alij *Telaugis* qui *filius* erat *Philoſophi*. Id quoque rectè, pro illis, quas modò dedimus, rationibus. Succeſſit *Philoſopho Pythagoræ* patri *Olymp*. 77. $\frac{1}{2}$. pro noſtris Tabulis *Telauges*,

non

non *Crotonæ* quidem, ſed in Scholâ aliquâ *Siculâ* in quâ illum fortaſſis audierit *Empedocles.* Neſcio annon in ipſâ *Empedoclis* patriâ Urbe *Agrigentinâ*, quam à *Phalaridis* tyrannide pater eripuerat, & dum cauſam eorundem in *Syracuſanos* tueretur, *occiſus* eſt. Nec ſane ante annum illum Scholæ *Pythagoreæ* diſciplinæ maturus eſſe potuit *Empedocles.* Erat enim inter *Thuriorum* colonos quos *Olymp.* 84. deductos teſtis eſt *Laertius.* Nos paulo accuratiùs *Olymp.* 84. $\frac{1}{2}$. aſſeruimus in *Annalibus* noſtris *Thucydideis.* Inde Hiſtoria ejus adeo incerta eſt ut ægrè detur in quo pedem figamus. Erant qui illum in Bello *Syracuſano* contra *Athenienſes* ſenſiſſe, quibus ab *ætate* quam tum egerit, petito Argumento refragatur *Glaucus* apud *Laertium.* Erant qui illum in *Peloponneſium* ceſſiſſe *Laert.*
vellent, quod ſane conſentaneum erat ſi VIII. 52.
partium fuerit *Athenienſibus* adverſarum. Ib. 73, 74.
Sed nec in *ætate* illius convenitur. Erant qui anno LXXV$^{o.}$ defunctum traderent. Erant qui CIX$^{o.}$ *Ariſtoteles* anno LX$^{o.}$ illum defe- Ib. 52, 74.
ciſſe ſcripſit, cui ego præ coævis omnibus in rebus *Facti* fidendum arbitror, propter *Bibliothecam* quam primus legitur habuiſſe *privatam.* Egerit ergo poſt cladem *Athenienſium Siculum* annum LX$^{m.}$ quouſque pertigit ætas *militaris.* Annus poſt cladem illam proximus, *Olymp.* $\frac{91}{92}$. $\frac{4}{1}$. idem *Varronianus* erat 342. Detrahantur LX. nataliſque ejus ad annum *Varronianum* 282. referendus erit, qui erat *Olymp.* $\frac{76}{77}$. $\frac{4}{1}$. Sic annum egerit, cum

colonia

colonia *Thurios* deduceretur (quod anno factum *Varroniano* 311. *Olymp.* 84. $\frac{1}{2}$.) XXIX^m^. Non admodum incommodé. Ita enim, cùm, pro noſtro calculo, decederet *Pythagoras Philoſophus*, anno *Varroniano* 283. *Olymp.* 77. $\frac{1}{2}$. *annum* duntaxat unicum egerit *Empedocles.* Idem verò cum ſatis concederet *Pythagoras junior* Philoſophi diſcipulus *Olymp.* $\frac{81}{82}$. $\frac{4}{1}$. anno *Varroniano* 302. tum *annum* egerit XX^m^. Ætas admodum commoda recipiendis tam à *Telauge* quàm à *juniore Pythagorâ* inſtitutionibus, & viciſſim dandis in adoleſcentiâ *Gorgiæ* ab *Olymp.* 80. repetendâ. *Multo* ſane *antiquior* eſſe vix potuit cum *avus* illius, ejuſdem tamen nominis, *Empedocles Olymp.* 71. *palmam* reportârit. Sic rectè fuerit *Empedocles* coævus *Zenoni Eleati*, utpote ſub *Parmenide* condiſcipulus. De *Parmenide*
Laert. IX. 23. verba ſunt *Laertij*: Ἤκμαζε δὲ κατὰ τὴν ἐνάτην καὶ ἑξηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. Hic obiter habet D. *Bentleius* exemplum quo ἀκμὴ niſi de *Natali* intelligi non poteſt. Annum egit *Parmenides*, cum *Athenis* eſſet ſociumque haberet *Zenonem Eleatem*, LXV^m^. *Zeno* autem ipſe fere XL^m^. teſte in *Parmenide Platone.* Eſto de *primo* Olympiadis *anno* intelligatur *Laertius.* Ita annus *Parmenidis* LXV. conveniet *Olymp.* 85. 2. Proinde *Olymp.* 75. 2. *natalis* erit *Zenonis*, qui fuerit proinde *ſexennio* major condiſcipulo *Empedocle.* Ita *Parmenidem* audierit *Meliſſus* quem *Olymp.* 84. aſſignat *Laertius*, quem *Olymp.* 85. ſuperfuiſſe certum eſt è rebus ab eo geſtis in Bello

Samiorum

Samiorum cum *Pericle.* Addit *Plato* tum σφόδρα νέον fuiſſe *Socratem*, quod tamen laxiùs intelligendum eſt cum in illo Colloquio *pars* aſſignata fuerit *Socrati*, quæ, pro Seculi diſciplinâ, non erat aſſignanda admodum *adoleſcentibus.* Natus eſt *Socrates Olymp.* 77. $\frac{3}{4}$. ut oſtendimus in Annalibus *Thucydideis.* Sic annum egerit in *Colloquio* illo circiter XXX^m. Sic rectè *Anaxagoram* audiverit *Empedocles*, qui idem Socratis Præceptor erat atque *Periclis.* Natus *Anaxagoras* eſt *Olymp.* 70. teſte *Apollodoro.* Sic *annum* egerit XX^m. in *Xerxis* Expeditione *Olymp.* 75. 1. Inde *Olymp.* 70. 1. *natus* eſſe probatur. Vixit 72. annis, quæ XVIII. ſunt *Olympiades.* Proinde finis *Olymp.* 88. 1. aſſignandus. Vel potius anno *Varroniano* 326. *Olymp.* $\frac{87}{88}$. $\frac{4}{1}$. *Xerxis* enim Expeditio erat *Olymp.* $\frac{74}{75}$. $\frac{4}{1}$. Et ſic *Archontes* cum *Olympiadibus* eorum temporum committendos oſtendimus. *Gorgiam Empedoclis* diſcipulum fuiſſe è *Satyro* habuit *Laertius*, qui quidem *Satyrus* ſcripſit ſub *Ptolemæo.* Imo *Empedocli Magiam* exercenti adfuiſſe *Gorgiam*, è *Gorgiæ Poëmatibus*, quorum fragmentum *Laert.* VIII.
habemus in *Laertio*, hauſit ipſe *Satyrus.* 58, 59.
Pythagoram autem *Empedoclis* Magiſtrum agnovit *Timæus* & *Alcidamas.* Sic autem *Telaugi* operam dedit *Empedocles* ut poſt *Empedoclem* ſuperſtes fuerit *Telauges.* Mortem enim *Empedoclis* in *Telaugis* ad *Philolaum* Epiſtolâ narratam diſcimus è *Laertio.* Cum

ergo

ergo ultra LX^{m.} *Empedoclis* annum pertigerit *Pythagoræ* Philoſophi *filius Telauges*, fieri non poteſt ut *Empedocle* multo *ſenior* eſſe potuerit pater *Telaugis* ipſe *Philoſophus.* Scio quidem illius *Telaugis* Epiſtolæ fidem dubiam ab ipſo haberi *Laertio.* Probabile tamen eſt *antiquiorem* aliquem *Sophiſta* Auctorem fuiſſe cur ita ſcriberet in Perſonâ *Telaugis*, quicunque demum is fuerit qui certè *Laertio* erat antiquior, *Sophiſta.* Hinc ergo firmantur tam quæ diximus de *juniori* illo & *Telaugi* coævo *Pythagorâ*, quàm etiam de *morte* Pythagoræ *Philoſophi.*

29. *Pythagoras* junior *Lyſidis* Præceptor, pro quo nomine *Mnemarchus* appellabatur, cognomen autem *Pythagoræ* à *Philoſopho* habuiſſe videtur. Hic pater *Damonis.*

In eo tamen ultrò nos *erràſſe* fatemur, quòd annis XX. *continuis Pythagoram Philoſophum Crotone* hæſiſſe, nec ab eâ *diſceſſiſſe*, crediderimus. Rectè enim paulo poſt prælium *Crotoniatarum* cum *Sybaritis* Philoſophum *peregrè* abſuiſſe, cum de agro *Sybaritarum* dividundo ageretur, è prædicto *Jamblichi* loco collegit D. *Bentleius.* Prælium erat *Olymp.* 67. 4. nempe annis ante *Olymp.* 83. 3. LXIII. pro rationibus *Diodori.* Pro noſtrâ, quam poſuimus, *Tabulâ*, annus erat *Olymp.* $\frac{67}{68}$. $\frac{4}{1}$. U. C. *Varr.* 246. *tertius* ex quo in *Italiam* venerit *Philoſophus.* Sic rectè partem habere potuit in cæde *Phalaridis*, Nam in *Siciliâ* pariter ac *Italiâ* illas fuiſſe Philoſophi *peregrinationes*, & reſtituendæ urbium *libertati* impenſas, urbiſque nominatim *Agrigentinæ*, conſentiunt ambo, tam *Porphy-*

Porphyrius quàm *Jamblichus.* Aliter ergo jam locus *Jamblichi* de *tempore* quo ſedem *Crotonienſem* tenuerit *Philoſophus*, intelligendus erit, & cum *Juſtino* conciliandus quàm in Opere de *Cyclis.* Verba *Juſtini* ſunt: *Pythagoras autem cum annos* XX. *Crotone egiſſet, Metapontum migravit, ibique deceſſit,* Lib. XX. c. 4. Sic anno, poſtquam *Italiam* veniſſet, XX° *Crotonem* reliquerit *Philoſophus,* & *Metaponti* ſedem fixerit. Urbis nimirum *Varroniano* 264. *Olymp.* 72. $\frac{2}{3}$. ipſius *Pythagoræ Philoſophi* anno LXXIX° Inde ergo incipienda ſucceſſio *Ariſtæi Damophontis Crotoniatæ* filij quem omnes *proximum* in ſede illâ *Philoſophi* ſucceſſorem agnoſcebant, teſte *Jamblicho.* Huic Scholam, tanquam πρεσβυτάτῳ ὄντι παραδοῦναι dicit ipſum *Philoſophum. Vivum* ſcilicet, cum à *Crotone* ſedem ad *Metapontum* transferret à *Cylonianis* malè habitus. Addit honoratum fuiſſe γάμῳ Θεανοῦς, & tutela genuinorum *Pythagoræ* liberorum, qui cum ex *uxore* naſcerentur quam duxit in *Italiâ,* proinde *vicenario* minores erant ut *tutelâ* indigerent. *Theanum* autem illam non Philoſophi *uxorem* intelligo, ſed *diſcipulam* potius, *Scriptorum* ſub *Theanûs* nomine conditricem, quæ & *filia* appellatur à Scriptore Anonymo apud *Photium.* Illam enim, cujus nomine *Scripta* ferebantur, *longâ* à *Pythagoræ* morte memoriâ vixiſſe veriſimile eſt, cum periculum eſſet ne Doctrina illius *ore* tradita penitus *intercideret.* Hanc enim

Porph. Vit. *Pyth.* p. 189.
Jamblich. Vit. *Pyth.* c. 7. p. 46.

ſcribendi

ſcribendi rationem fuiſſe conſentiunt Auctores. Sed ne quidem *annis* provectam *Pythagoræ uxorem* in *Italiâ* fuiſſe neceſſe erat, ſi *virginem* duxerit, pro illius, quo vixit ipſe, Seculi diſciplinâ. Potuit ergo etiam multis poſt *Philoſophi mortem* annis ſuperfuiſſe, nec multo adeo *minor* fuiſſe *ultimis* primi Magiſtri *diſcipulis*. Idem autem hic *Ariſtæus* erat cum *Porphyrij Ariſtæo Androclis* filio *adoptitio* quem aliunde advectum filio *Pythagoræ* donârit *Mneſarchus* pater, *Pythagorâ* ipſo proinde non *multo* juniorem. Hunc πρεσβύτατον appellat *Jamblichus*, quòd etiam alios *pueros* ſibi charos habuerit *Philoſophos*, quorum *maximus* natu fuerit *Ariſtæus*, *Zamolxidem* ſcilicet (quem *Getarum* legiſlatorem volebant *Pythagoræi*, falsò tamen, ut oſtendit *Herodotus*) ipſumque illum quem in Scholâ *Pythagoræa* ſucceſſorem probavimus, *Pythagoram juniorem*. Manumiſſo autem *Zamolxide* & ad *Getas miſſo*, nemo eorum ſupererat qui ſufficeretur in locum *Ariſtæi*, præter *juniorem Pythagoram*. Illum ergo pro *Ariſtæi ſucceſſore* habet *Jamblichus* ex Auctore cujus fidem ſecutus eſt, qui tamen ipſe neminem eo nomine compertum habebat inter *diſcipulos Pythagoræ*. Sunt enim verba *Jamblichi* in hanc ſententiam diſerta : Μεθ' ὃν ἡγήσατο Μνήμαρχον τὸν Πυθαγόρου. *Mnemarchum Pythagoram* propterea appellavit Auctor *Jamblichi*, ut à *Philoſopho* diſtingueret qui cum illo *nomen* habebat commune *Pythagoræ*, non autem

autem *Mnemarchi.* Malè ergo locum *Jamblichi*, qui rectè ſe habebat, emendandum propterea cenſuerunt Viri Eruditi qui alium in ſucceſſione *Pythagoram* fuiſſe neſciebant, Philoſophi *diſcipulum*. Primum, ni fallor, nomen fuerat *Mnemarchus*, cui poſt *acceſſerit* novum illud à Præceptore *Pythagoræ*. Sic enim Diſcipulis *Petri* & *Boanergis* nomina à *Domino* noſtro Servatore. Sic & *Theophraſti* nomen à Præceptore ſimiliter *Ariſtotele*. Inde tanta hujus *Pythagoræ* apud poſteros Sectæ diſcipulos *Auctoritas*, ut *contraria* Philoſopho inſtituta illius nomine venditata de edendis *carnibus* receperint. Indito enim à *Philoſopho* nomine *Pythagoræ*, cum in *ſedem* ſufficeretur, erat in proclivi ut crederent, unà cum *nomine animam* quoque illum migraſſe *Philoſophi*, idque ut innueret, propterea nomen immutatum à *Philoſopho*, cujus pro ratione ſatis erat *αὐτὸς ἔφα*. Ita certè rem ſe habuiſſe, ex alio loco colligitur quo hujus *Eratoclis* filij *Pythagoræ* idem meminit *Jamblichus*. Cum enim obſervâſſet aliena illa, quæ hujus nomine ferebantur, à mente *Philoſophi* inſtituta, ſic deinde ſubjungit: Οὐ *καλῶς εἰς* Πυθαγόραν *τȣ̃* Μνημάρχȣ *τȣ́των ἀναφερομένων*. Suſpicatus fueram legendum eſſe Μνησάρχȣ, & errore Typographi factam eſſe mutationem. Sed convenit *Latina* interpretatio, nec ulla illius erroris veſtigia in erratis. Sic & in Cap. 2. ſæpiſſimè *Pythagoræ* pater *Mnemarchus* appellatur, ſemel

Q tantum-

tantummodo *Mneſarchus*. Nec aliter ſe in *ſcriptis* Codicibus agnoſcit reperiſſe editor *Arcerius*. Confuſi cum *Mnemarcho Mneſarchi* in his omnibus locis veſtigia habemus ex his duobus *Pythagoris* invicem confuſis oriunda. Erroris occaſio facillima erat ſi quis vetuſtus Auctor gignendi caſu junioris hujus *Pythagoræ* meminiſſet, Πυθαγόρου τοῦ Μνημάρχου, intelligens nimirum *Pythagoram* qui proprio nomine *Mnemarchus* appellabatur, *Pythagoræ* autem nomen duntaxat *adſcititium*. Facile enim è loquendi formâ collecturi erant parum attenti Lectores vel Scriptores, illum intelligi *Pythagoram* qui filius fuerit *Mnemarchi*. Talem autem cum neminem in Veterum monumentis reperirent, *Philoſophum* autem *Mneſarchi* filium ubique agnitum obſervarent ; ratio inde facillima erat cur pro *Mnemarcho* reponerent *Mneſarchum* ; nulla contrà tam facilis cur *Mnemarchum* obtruderent cum de vero ageretur *Mneſarcho*, quàm quòd hos adeo diverſos *Pythagoras* in eadem *Succeſſionis* ſerie invicem non internoſcerent. Hunc certè juniorem *Pythagoram* Præceptorem agnoſcit *Lyſis* Epiſtolâ ad *Hipparchum* quam integram habemus *Doricâ* Dialecto. conceptam, pro more *Pythagoræorum*, in Collectione Epiſtolarum *Græcanicarum* editâ ſub nomine *Cujacij*, quam tamen vetuſti alicujus collectoris fuiſſe qui poſt *Theophylactum Simocatam* vixerit, res ipſa loquitur. Ex illâ certè teſtimonia advocantur

vocantur non ab *Jamblicho* tantummodo, verum etiam à *Laertio.* Ex illâ conſtat Epiſtolâ, hujus *Pythagoræ* neptem fuiſſe *Vitalem*, filiam *Damonem* quam nemo Veterum *Philoſophi filiam* exiſtimavit. Contrà non fuiſſe exinde intelligimus quòd nupſerit *Telaugi* Philoſophi *filio*, qui *frater* fuiſſet ſi etiam ipſa fuiſſet *filia Philoſophi.* Hujus ergo *junioris Pythagoræ* Scripta erant *Damonis filiæ* fidei commiſſæ, non autem *Philoſophi*, à quo *nihil* ſcriptum plerique conſentiunt, alienumque fuiſſe à ſcribendi conſilio, editâ cur ita ſentiret ratione, ut *cordibus* potius quàm *Libris* documentorum ſuorum memoria ſervaretur. Hunc *Eratoclis* filium non adeo à ſcribendo abhorruiſſe exinde conſtat, quòd Ἀλειπτικὰ illi ſine dubio aſſignârit *Jamblichus.* Conveniunt porro *ætates Telaugis* & *Damonis.* Nec enim *Theanonem Telaugis* matrem antea *uxorem* duxerat *Philoſophus* quàm veniret in *Italiam.* Et *par* matrimonio erat *Eratoclis* filius *Mnemarchus* cum *Philoſophum* in illo itinere comitaretur. De hoc ergo *juniori Pythagorâ* ſermo *Lyſidi* eſt Epiſtolâ ad *Hipparchum.* Ibi mox initio ait ſe, poſt *Pythagoræ mortem*, nunquam in animum induxiſſe, fore ut diſcipulorum congregatio invicem diſpergeretur. Inde manifeſtum eſt poſt *mortem* hujus quoque *Pythagoræ* incendium fuiſſe *Cylonianum.* Inde enim, quanquam aliquantiſper *expectarint* meliores Civium animos, erat

tamen in proſpectu *diſperſio.* Hunc autem fuiſſe *Pythagoram* exinde etiam colligitur quòd illum de *nomine* compellârit. Alienum enim hoc à moribus *Pythagoræorum* fuiſſe docet *Jamblichus*, verba ſupra dedimus. Satis autem commodè conveniunt hæc cum noſtris, quas dedimus de *Lyſiæ ætate* rationibus. Anno, quo *mortuus* eſt hic *Pythagoras*, *Olymp.* $\frac{81}{82}$. $\frac{4}{1}$. *Varronian.* 302. annum egerit *Lyſias* tantummodo XXX. Sed in *incendio* propiorem anno XXXV. fuiſſe oſtendimus, ut *robuſtiſſimam* illam *ætatem* attingeret quæ ad *eruptionem*, cui tam *pauci* ſuffecerunt, neceſſaria erat. Ipſa tamen illa *ætas* annorum XXX. ſatis erat ad audiendum per aliquot *annos* hunc *Pythagoram.* Sic ergo in hac Scholæ *Crotonienſis* ſucceſſione initium tenemus *Ariſtæi*, anno ex quo venit in *Italiam Philoſophus* XX°. *Olymp.* 72. $\frac{2}{3}$. U. C. *Varr.* 264. *finem* autem *junioris Pythagoræ Mnemarchi*, *initiumque Bulagoræ*, *Olymp.* $\frac{81}{82}$. $\frac{4}{1}$. U. C. *Varr.* 302. ut uterque tenuerit per *annos* in univerſum XXXVIII. Eſt autem admodùm veriſimile nomen *Pythagoræ* tum *Mnemarcho* à *Philoſopho* impoſitum cum illum *Ariſtæo* ſucceſſorem daret *Philoſophus.* Spectabat enim hoc ad *Auctoritatem* ejus augendam, cujus potiſſima ratio habita in diſciplinâ *Pythagoræorum.* Spectabat eodem *Telaugis* Philoſophi *filij* cum *Damone Mnemarchi filiâ* matrimonium. Pro eodem ſcilicet exemplo quo etiam *Ariſtæum*, cum

Vit. *Pyth.* c. 35. p. 213.

cum etiam ipſe ſedi *Crotonienſi* admoveretur, dignatus eſt nuptiis *Theanonis.* Hæc ſi vera, ante *mortem Philoſophi* ſucceſſerit *Mnemarchus.* Proinde ante *annum* quo *caſus* eſt *Philoſophus, Olymp.* 77. ½. U. C. *Varr.* 283. Regnante ſcilicet apud *Syracuſanos Hierone*, ad quem *Pythagoræ* Epi- P. 107.
ſtolam legimus in collectione *Cujacianâ.* Quamdiu antea ſucceſſerit, de eo nullum habemus, quod ſciam, Veterum *teſtimonium*, vel etiam *ratiocinium.*

Ex hac autem *Lyſidis* ad *Hipparchum* Epi- 30.
Ætas hujus Pythagoræ è Lyſidis ad Hipparchum Epiſtola, & Epocha *incendij Cyloniani.*
ſtolâ obiter confirmamus quæ ſuprà diximus de *tempore* incendij *Cyloniani.* Cum enim *tempore* quo deceſſit *junior* ille *Pythagoras*, (de quo ibi ſermonem eſſe probavimus) nihil eſſet cur de futurâ *Pythagoræorum* diſperſione ſuſpicio aliqua mentem *Lyſidis* ſubiret, inde colligitur, tum ſecundiſſimo curſu fuiſſe rem *Crotone Pythagoræam. Secundum* enim *Pythagoram*, non *priorem*, deſignant *notæ* illius Epiſtolæ omnes. Non illa ſola, cujus modò meminit, quòd *Lyſis* illum de *nomine* compellârit: ſed quòd filiam habuerit *Damonem*, aliam à *filiabus Philoſophi*; quòd *neptem Vitalem*; quòd hunc *Pythagoram* audierit ipſe *Lyſis*, imò quòd ſe *adultum* innuat, & de *Sectæ* ſuæ *proſpero* ſtatu ſolicitum, cum ipſe *decederet.* Itaque poſt hujus quoque *Mnemarchi Pythagoræ* mortem neceſſe eſt fuiſſe *incendium.*

Imo poſt aliquos ab illius *morte* annos ut tanta fieret rerum converſio, ut fieret *probabile* quòd antea ne quidem *veriſimile* videbatur, fore aliquando ut contingeret. Nos *ſeptem annos* aſſignavimus, qui incendium *Cylonianum* conſtituimus anno *Varroniano* 309. *Olymp.* 83. $\frac{3}{4}$. Potuit fortaſſis aliquanto fuiſſe *ſerius* ſi propiùs *Lyſis* ad annum *ætatis* XXXV$^{m.}$ tunc acceſſerit, & *major* fuerit, quàm putavimus, *illo* decedente *Pythagorâ*. Contrà tamen *Thebis Lyſidem* fuiſſe probavimus cum è *Græciâ* rediret *Gorgias Olymp.* 88. $\frac{1}{2}$ anno *Varroniano* 327. Medium eſt ſpatium *annorum octodecim*. Tum verò revocati fuerunt ab exilio ſocij *Lyſidis* in *Achaiâ Pythagoræi*, qui antea redierant quùm *Lyſis* ſe ad *Thebas* contuliſſet, ut *ſociis* nuncium referre non potuerint quo ille poſt *diſceſſum* ſuum loco latuerit. Et tamen *antea* quàm illi *redirent*, jam elapſi erant anni ab incendio *Cyloniano* plures, πολλὰ ἔτη *Jamblicho*. Imo ab eâ *Epochâ* quâ ex *Italiâ* in *Achaiam* venerant. Hi anni *tribus* pauciores eſſe non poterant. Addatur ſpatium quo *Crotonienſium* reſipiſcentiam expectârint *Pythagoræi* tam in *Crotone* quàm etiam *Rhegij*. Addatur & illud quo *latuerit Lyſis* poſt *reditum* ſociorum, *antea* tamen quàm rediret *Gorgias*. Accedetque annus alius, ut quàm parciſſime agamus. Sic *quadriennio* ad minimum *Gorgiæ reditu* antiquius fuerit *incendium*, ut proinde poſt *Olymp.* 87. $\frac{1}{2}$. annum

autem

autem *Varronianum* 323. contingere non potuerit. Sufficiet hæc, ni fallor, Epocha *Comicis* antiquiſſimis qui Πυθαγορίζούσας ſcripſerint. Hos enim omnes *pulſis* ex *Italiâ Pythagoræis* inſultaſſe veriſimillimum eſt, poſt calumnias *Ninonis*, poſt *Libros* ab eis editos ne diſciplinæ *memoria* intercideret, quod tum factum, cum eſſent ſaltem in *exilij* proſpectu. Ita ſpatium ad *annos quatuordecim* redigetur. Huic tamen *numero* rurſus anni V. detrahendi erunt, ſi *annum* egerit in *incendio* XXXV^{m}. Ita intra *arctiores* adhuc *novennio* limites contrahetur intervallum, ut inter annum *Varronianum* 314. *Olymp.* $\frac{84}{85}$. $\frac{4}{1}$. ad annum *Varr.* 323. *Olymp.* LXXXVII. $\frac{1}{2}$. perpetratum fuerit *incendium.*

NOTÆ, *in* Tabulas §. I. *Annalium* PYTHAGORÆ Chronologicæ, *ad quas* Diſ. III. *de* Cyclis *exigenda eſt.*

URbis Cond. *Varr.* 185. *Olymp.* 52. ¾. *Natalis Pythagoræ.* Anni *Juliani* hic rationem præcipuè habemus in Epochâ etiam *Olympiadum* atque *Varronianâ.* Ut ſcilicet *initium* anni ſupputetur, quà quidem licet, à menſe *Januario.* Et quidem *Olymp.* 52. 3. jam *antea* natalem *Pythagoræ* conſtituimus, qui duobus *Julianis* annis reſpondet U. C. *Varr.* 184. *Olymp.* 52. ²⁄₄. & U. C. *Varr.* 185. *Olymp.* 52. ¾. Illud ergo ſolum agitur impræſentiarùm : ad anni Olympiadis partémne *priorem* referendus ſit *Pythagoræ Natalis*, an potiùs *poſteriorem.* Ad *poſteriorem* ergo *partem* referendum eſſe colligimus è captivitate *Philoſophi* in *Ægypto* ſub *Cambyſe*, quæ *nota* eſt horum *Annalium* certiſſima. Anno ergo *Olymp.* 63. 3. Expeditionem *Cambyſis* in *Ægyptum* fuiſſe certiſſimum eſt. Sed certè *exeunte.* Nam anno contigit *Cambyſis* V^o^ qui anno *Nabonaſſareo* reſpondebat 223. quo cœpit *Thoth* à die *Januarij* II° *Juliani.* Tum ergo cœperit oportet annus *Cambyſis* V^us^ Proinde anno Epochæ *Varronianæ* 229. qui reſpon-

reſpondebat *Olymp.* 63. $\frac{3}{4}$. Poſt illum nempe *Januarium* qui anno *Olympiadis* 3^{io} *deſinente* cœperit. Tum autem agebat *Philoſophus* annum *ætatis* XLIV. quem nempe nondum *abſolverit* cum in *Ægypto* caperetur à *Cambyſe.* Proinde *novus* Pythagoræ *natalis* à quo inierit *Pythagoræ annus* XLV^{us} anno illo *Olympiadis* 63.3. *deſinente* contigerit. *Primus* itaque *natalis Olymp.* 52.3. ſimiliter *deſinente.* *Vere* enim *Cambyſis* Expeditionem fuiſſe conſtat, annique adeo *Juliani* parte *priori.* Auctorum loca hic adducenda non exiſtimavimus, quòd facilè repeti poſſint è *Diſ.* de *Cycl.* III.

U. C. *Varr.* 193. *Olymp.* 54. $\frac{3}{4}$. *Pythagoræ* VIII^{us} cum *moreretur Epimenides*, Diſ. III. *Cycl.* §. 12. p. 147. Sed ſeriùs *Epimenidem* vixiſſe conſtat ex Epiſtolâ *Dorica* illius ad *Solonem.* *Laert.* I. 113. ubi ſupponit jam in *tyrannide Piſiſtratum*, quam aſſecutus eſt Archonte *Comiâ Olymp.* $\frac{54}{55}$. $\frac{4}{1}$. cum annum ageret *Pythagoras* IX^{m}. *Sequenti* anno mortuus eſt *Solon Olymp.* 55. $\frac{1}{2}$. cum annum ageret *Philoſophus* X^{m}. U. C. *Varr.* 195. In illâ Epiſtolâ ominatur *Epimenides Piſiſtrati* tyrannidem ad *filios* non tranſituram. Hæ certè notæ Epiſtolæ *genuinæ.* Nec enim ita ſub *Epimenidis* nomine ſcripturus erat *Sophiſta* qui tunc vixerit cum hanc *Epimenidis* Augurationem *falſam* eſſe conſtaret. *Platonis* præterea locum celebrem de *Epimenide* obſervavit D. *Bentleius*, quo ante *Perſicam* Expeditionem

decennio

decennio Epimenidem vixiſſe teſtatur. Nec quicquam habemus de *tempore* quo deceſſit *Epimenides* adeo exploratum quo tam *propinquus* ipſius *Epimenidis* ætati *teſtis* falſi
Jamblich. Vit. Pyth. I. c. 23. p. 103. convincatur. Erat præterea inter *Pythagoræ* diſcipulos *junior Epimenides*, teſte *Jamblicho*. Et quidem in illâ *diſcipulorum* claſſe qui *juvenes* ipſi *ſenem* audierint *Pythagoram Philoſophum*. Neſcio an idem fuerit quem de rebus à *Pythagorâ* geſtis *ſcriptorem* advocat
Ibid. c. 2. p. 29. *Jamblichus*, à paucis admodum, quod quidem ſciam, obſervatum. Hunc facilè erat *Scriptoribus* etiam *antiquis* ut cum Philoſophi *Magiſtro* confunderent, ut vidimus illos *multos* invicem permiſcuiſſe *Pythagoras*. Potuitque idem *junioris Pythagoræ* revera fuiſſe *Præceptor*, quem quidem *juniorem Pythagoram* cum *vetuſtiore* eundem cenſent multi *Veteres*.

U. C. *Varr.* 201. *Olymp.* 56. ¾. *Pythagoræ* XVI. quo ad *Thaletem* ſe & *Biantem* contulit, *Diſ.* III. §. 12. p. 140. Hoc inde colligimus quòd tunc ἔφηβον illum appellârit *Jamblichus*. Hæc enim ἐφήβου ætas, quâ μελλεφήβῳ & ἐξεφήβῳ opponitur.

U. C. *Varr.* 203. *Olymp.* 57. ½. *Pythagoræ* XVIII. Ὑποφυομένης ἄρτι τῆς Πολυκράτους τυραννίδος περὶ ὀκτὼ καὶ δέκατον μάλιστα ἔτος γεγονώς, *Jamblich.* Vit. *Pythag.* c. 2. p. 31.
Lib. XIV. p. 638. *Strabo* : Ἐπὶ τούτου δὲ, καὶ Πυθαγόραν ἱστοροῦσι φυομένην ἰδόντα τὴν τυραννίδα, ἐκλιπεῖν τὴν πόλιν, καὶ ἀπελθεῖν εἰς Αἴγυπτον καὶ Βαβυλῶνα, φιλομαθίας

μαδίας χάειν *Tyrannis* φυσμένη ea dicitur quæ adhuc fuerit quaſi in *embryone*, nondum matura partui. Idque magis voce ὑποφυσμένη indicatur quâ uſus eſt *Jamblichus*. Eſt enim ὑπόλευκον quod *album* quidem *non* eſt, *prope* tamen ad albedinem accedit. *Nondum* ergo ſtabilitam fuiſſe *Polycratis* fratrumque tyrannidem illo *Pythagoræ* ætatis anno intelligimus, *factionem* tamen ab iis initam adeo potentem ut ſpem omnem civibus præciderit quæ obſtare potuerit quo minùs fuerit in *tyrannidem* evaſura. Satis illa fuit ad alienandum à deſperatâ patriâ animum *Pythagoræ*, vertendumque ad *Peregrinationes* animi excolendi gratiâ ſuſceptas. Illâ præſertim, quâ tum erat Philoſophus, *ætate* nondum *maturâ* ad capeſſendam *Rempublicam*. Tyrannidem illam, arce occupata, accerſitis à *Lygdamide Naxiorum* tyranno auxiliaris ſtabilitam obſervat è *Polyæno* D. *Bentleius*, qui tamen *Lygdamis* ipſe non antea *tyrannidem* aſſecutus fuerit quàm *Athenis* jam *tertiâ* vice tyrannide potitus eſſet *Piſiſtratus*. Hoc enim aſſerere putat *Herodotum*. Inde colligit ante *Olympiadem* LIX. 1. ne quidem in *tyrannide* fuiſſe *Lygdamidem*, nec adeo qui *Lygdamidis* auxilio *tyrannidem* adeptus eſt *Polycratem*. Rectè quidem Vir doctiſſimus modò *vera* eſſent è quibus illa collegit. *Tyrannus* enim *Athenis* Archonte *Comiâ* *Olymp.* $\frac{54}{55}$. $\frac{4}{1}$. *primâ* vice factus eſt *Piſiſtratus*, ann. U. C. *Varr.* 194. Tenuit autem per annos

Polyæn. L. I. c. 23.

annos XXXIII. ad annum proinde *Varr.* 227.
Ariſtot. Politic. L. V. c. 12. *Olymp.* 63. $\frac{1}{2}$. Sic tamen ut XVII. annis tantummodo fuerit in poſſeſſione, teſte optimo Auctore *Ariſtotele*. Numerentur illi à fine *Piſiſtrati* retrorſum, incidetque *Piſiſtrati tertium* illud *initium* in annum *Varr.* 200. *Olymp.* $\frac{58}{59}$. $\frac{4}{1}$. Ita quidem ſi fuiſſent *continui*. Sed (quia *partem* annorum illorum XVII. duabus primis vicibus in *tyrannide* exegerat) aliquanto *ſerius*, ut proinde non incommodè Vir. Cl. ad *Olymp.* 59. 1. retulerit. Et *ſerius* adhuc *Polycrates* qui *Lygdamidis* auxilio *tyrannus* factus eſt. Sed erravit, ut puto à verâ *Herodoti* ſententiâ Vir Clariſſimus. Sic enim poſt *tertiam Piſiſtrati* reſtitu-
Herodot. I. 64. tionem *Herodotus* : Ὁμήρους τε τῶν παραμεινάντων Ἀθηναίων καὶ μὴ αὐτίκα φυγόντων παῖδας, λαβὼν, καὶ καταστήσας ἐς Νάξον. Καὶ γὰρ ταύτην ὁ Πεισίστρατος κατεστρέψατο πολέμῳ, καὶ ἐπέτρεψε Λυγδάμει. Obſides *Athenienſium* poſt *tertiam* tyrannidis vicem in *Naxum* tranſlatos eſſe dicit. Non autem tum demum ſubactam *Naxum Lygdamidis* fidei fuiſſe commiſſam. Imo in *priori* aliquâ *tyrannide* ſubactam innuit, quòd paratam habuerit, quo *obſides* conferret, eorum qui *tertiò* occupatâ *tyrannide* ſeſe aliò è veſtigio non contuliſſent. Hoc enim innuit vox αὐτίκα, moram tum nullam fuiſſe in *Naxo* ſubigendâ. Remque ita ſe habuiſſe, confirmat locus alter *Herodoti* ab ipſo quoque D. *Bentleio* obſervatus, quo adjutum à *Lygdamide*

damide Piſiſtratum oſtendit in hac *tyrannidis* inſtauratione. Verba ſunt: Καὶ Νάξιός σφι *Herodot. I. 61.* ἀνὴρ ἀπιγμένος ἐθελοντὴς, τῷ οὔνομα ἦν Λύγδαμις, προθυμίην πλείστην παρείχετο, κομίσας καὶ χρήματα καὶ ἄνδρας. *Tyrannidem* indicavit tantæ illæ *Lygdamidis* in *Piſiſtrato* adjuvando vires. Gratam autem beneficij jam antea collati memoriam, quòd venerit ἐθελοντὴς, & quòd προθυμίην πλείστην oſtenderit. Mentio ergo illa, poſt *tertiam* tyrannidem, *Lygdamidis* eò ſpectat ut cur *Naxi*, potiùs quàm *Athenis*, obſides cuſtodiri vellet *Piſiſtratus*, Lector intelligeret. Nec eſt è contra Argumentum tam familiaris illa in *Tyranno* appellatio Νάξιος ἀνὴρ, quam in majoribus quàm fuit *Lygdamis*. Principibus adhibet *Herodotus*, & *coævi Herodoto* Scriptores. Sed verò XI[us] hic erat annus ex quo *tyrannide* exutus fuerat *Piſiſtratus*, teſte *Herodoto*. *Ibid. 62.* Proinde anno *Varr.* 199. *Olymp.* 56. $\frac{1}{2}$. fuerat in *Naxiorum* tyrannide *Lygdamis*, ut *ſecundâ* quoque tyrannide exeunte *Naxiis Lygdamidem* præfeciſſet *Piſiſtratus*. Potuit tamen illum etiam in *primâ* ſuâ tyrannide *Naxiis* præfeciſſe. Et viceverſâ paulò ſeriùs, ſi duarum primarum tyrannidum *tempus* fuiſſet protrahendum, quas tamen admodum *diutinas* fuiſſe non eſt admodum veriſimile. Nihil ergo obſtat quo minus hoc *Pythagoræ* anno XVIII[o] *Samiorum* tyrannidem aſſecutus fuerit *Polycrates* pro rationibus noſtris, & quidem ope *Lygdamidis*. Obſtat autem ut

ut ante *Olymp.* $\frac{54}{55}$. $\frac{4}{1}$. U. C. *Varr.* 194. tyrannidem *Samiorum* ope *Lygdamidis* conſequi poſſet *Polycrates*, cum nondum eſſet in tyrannide *Piſiſtratus* auctor *Lygdamidis*. Malè ergo ſibi *Suidam* favere credit Vir doctiſſimus, in quo *Olympiadum* numeri corruptiſſimi ſunt. In *Anacreonte Polycratis* tyrannidem aſſignat *Olymp.* 52. Sed vix dubito quin pro *νβ'* reponendum ſit *ξβ'*. Illâ enim *Olympiade* veteres *Pythagoræ* in *Italiam* adventum & *Polycratis tyrannidem* ſtatuunt quæ Philoſophum *fugârit* à patriâ. Sed ne quidem illi de tyrannidis *initio* intelligendi ſunt. Addit *Suidas* de *Anacreontis* tempore ex alio Scholiaſte : Οἱ δὲ ἐπὶ Κύρου καὶ Καμβύσου τάττουσιν αὐτὸν κατὰ τὴν κέ Ὀλυμπιάδα. Hic rurſus pro *κέ*, reponendum *νέ*. Illo enim *Olymp.* 55. 1. anno *Cyrum* ſucceſſiſſe magnus *Veterum* conſenſus eſt, & rectè, pro *noſtris* quoque *Tabulis*. Sed *Græcis* ante *Sardes* captas vix innotuit, quæ captæ *Olymp.* 58. 1. vel 59. 1. aſſignantur. Aliter in *Ibico* : Εἰς Σάμον ἦλθε ὅτε αὐτῆς ἦρχε Πολυκράτης ὁ τοῦ τυράννου πατήρ. Χρόνος δὲ οὗτος ὁ ἐπὶ Κροίσου, Ὀλυμπιὰς νδ'. *Olympias* hæc non ad *Polycratem* pertinet, ſed *Crœſum*, cujus initium rectè *Olymp.* 54. 3. aſſignabatur ab illis qui *Sardes* captas *Olymp.* 58. 1. ſtatuebant. Hoc ergo tantummodo volebat *Suidæ* Auctor *Crœſo* in *Lydiâ* regnante tyrannum in *Samo* fuiſſe *Polycratem*, non *patrem tyranni* qui fuit *Æaces*, ſed tyrannum

rannum *ipſum.* Neutro ergo in loco *Olympias* deſignatur quâ cœperit *Polycrates*, ſed quâ cœperint Principes *Polycrate* illuſtriores, *Cyrus* & *Crœſus*, è quorum *temporibus* ſtatuendum eſſet de tempore *Polycratis.* Hoc ergo ex utroque *Suidæ* loco elicimus poſt *Olymp.* 54. 3. quo cœpit *Crœſus*, & poſt *Olymp.* 55. 1. quo cœpit *Cyrus*, iniviſſe *Polycratem*, & tamen ante *Olymp.* 58. 1. quo *exutus* eſt à *Cyro Crœſus*, ut partem aliquam *tyrannidis* haberet quæ cum *Crœſi* regnantis *tempore* concurrerit. Hæc cum noſtris rationibus conſentiunt accuratiſſimè, non autem cum rationibus Adverſariorum. Hujus *Pythagoræ* anni XVIII[i.] memorandi occaſionem ſumpſit *Jamblichus* ex Adagio de *Samio comato.* Eâ enim *ætate* ſuit *Pythagoras* Athletes cum palmam *virilem* reportaret in *Olympiis*, à quo manavit Adagium. Reſpondet autem non temporibus *Athletæ*, quem à *Philoſopho* non ſatis diſtinxit *Jamblichus*, ſed *recentioris* alterius Athletâ *Pythagoræ* qui idem reverâ fuerit cum *Philoſopho.* Nam eandem φυομένης τυράννιδος Philoſopho tribuit doctiſſimus accuratiſſimuſque *Strabo*, qui multa aſſecutus eſt quæ deceſſorum diligentiam effugerit. Erat ergo è monumentis hic *Pythagoræ* annus, de quo tamen in *Diſſertationibus* dubitabamus. Fieri aliter vix potuit ut rectè ſe haberet commiſſio, quam ipſi adeo pravis *ratiociniis* corruperant, ſi ab ipſis fuiſſet excogitata. Huc porro

porro referenda ſunt, ad hunc nimirum annum, verba Apuleij: *Eo* [Polycrate] *dominari orſo, profugit ex inſula clanculo Pythagoras, patre Mneſarcho nuper amiſſo.*

Florid. p. 351. Edit. *Elmenhorſt.*

U. C. *Varr.* 207. *Olymp.* 58. ½. *Pythagoræ* XXII. *Thaletis* monitu, hoc ipſo anno defuncti, *Ægyptum* petit. Ibi hæſit per annos XXII. *Jamblichus*: Δύο δὴ καὶ εἴκοσιν ἔτη κατὰ τὴν Αἴγυπτον ἐν τοῖς ἀδύτοις διετέλεσεν ἀστρονομῶν καὶ γεωμετρῶν, καὶ μυούμενος οὐκ ἐξ ἐπιδρομῆς, ἀλλ᾽ ὡς ἔτυχε πάσας θεῶν τελετὰς ἕως ὑπὸ τῶν τοῦ Καμβύσου αἰχμαλωτισθεὶς εἰς Βαβυλῶνα ἀνήχθη. Vit. *Pythag.* c. 4. p. 36. Nempe ante annum *vitæ* XLIV. qui fuit ante annum *vitæ* LVI^m. XII^us. Hæc ex *Auctoribus*, unde anni *ſitus* certiſſimè evincitur.

U. C. *Varr.* 211. *Olymp.* 59. ½. *Pythagoræ* XXVI. Mortuum hoc anno *Pherecydem* ſepelivit *Pherecydis* diſcipulus *Pythagoras* Philoſophus. Venit ad eum, non ex *Italiâ*, ut vulgò creditum. Hoc enim *Dicæarchi*, eorumque quos ἀκριβεστέρους cenſet, Auctorum teſtimonio refellit *Porphyrius*. Ergo ex *Ægypto*, qui in annum incidit IV^m. eorum, (quos in univerſum ibi XXII. conſumpſit) annorum in *Ægypto*. Situs à morte *Pherecydis* petendus. Hic erat *Servij Tullij* XXXVI. pro Epochâ *Varronianâ*. Inde *Pherecydem* ad *Servij Tullij* tempora refert *Cicero*. Ipſumque *Pythagoram Livius*. Pro illorum nempe ſententiâ qui ex *Italiâ Pythagoram*

thagoram ad Magiſtrum *ſepeliendum* peregrinatum arbitrabantur.

U. C. *Varr.* 221. *Olymp.* 61. $\frac{1}{4}$. *Pythagoræ* XXXVI. Archonte *Thericle* venit in *Italiam* *Pythagoras*, pro ſententiâ *Diodori* ex Excerpt. *Porphyrog.* à *Valeſio* Editis. *Thericlem* Archontem *Olympiadi* 61. aſſignaverat *Diodorus*, ſed nulli *certo* illius Olympiadis *anno*. Si tamen idem fuerit cum eo quem alij *Herculem*, alij *Heraclidem* appellant, annus prædictus illi conveniet. Duorum enim annorum *Olympiadicorum* partes complectebatur, illis temporibus, annus *Archonticus*, cum *initium* anni *Archontici* procederet à *Gamelione*. Sed ad *Servij Tullij* Regnum, potiùs quàm *Tarquinij Superbi*, referendus is fuiſſet annus pro ſententiâ, quàm falſam exiſtimo, *Diodori*. Is enim, ſi *uni* alicui *Epochæ* Urbis Conditæ conſtet, *Fabij*, ut puto, *Pictoris* Epocham ſequebatur. Illis autem *Olympiadum* annis annus *Servij Tullij* tantummodo XLI. apponitur, ut è noſtris conſtat *Tabulis*. Hinc ergo corrigenda, quæ ſcripſimus in *Diſſertationibus*.

U. C. *Varr.* 225. *Olymp.* 62. $\frac{3}{4}$. *Pythagoræ* XL. Γεγονότα δ᾽ ἐτῶν τεσσαράκοντα, φησὶν ὁ Ἀριστόξενος, καὶ ὁρῶντα τὴν τῆς Πολυκράτους τυραννίδα συντονωτέραν ἔσαν, ὥστε καλῶς ἔχειν ἐλευθέρῳ ἀνδρὶ τὴν ἐπιστασίαν καὶ δεσποτείαν μὴ ὑπομένειν, οὕτως δὴ τὴν εἰς Ἰταλίαν ἄπαρσιν ποιήσασθαι. *Porphyr.* Vit. *Pythag.* p. 184. Ex hoc antiquiſſimi, quique Traditiones *Pythagoræorum*

goræorum de ſuo Præceptore ex ipſis hauſit fontibus, *Ariſtoxeni* teſtimonio colligimus tantam fuiſſe eorum diligentiam, ut quid quoque *anno* ab eo geſtum fuerit, id operam dederint ne neſcirent. Non eſt itaque cur miremur tot alios ejuſdem annos ab *Jamblicho* deſignatos quorum memoria nulla eſt apud *Laertium*, qui ne hunc quidem *annum*, tam bono fultum teſtimonio obſervavit. Sedulò autem *Facta* internoſcenda erunt à *Ratiociniis* ut *certa* ab *incertis* internoſcamus. E *Factis* enim bonâ Veterum fide comprobatis, varia invicemque pugnantia *ratiocinia* juniores elicuerunt, quæ ſi pro *Factis* habeantur, ne quidem *normas* tenebimus *Chronologicas* ad quarum *fidem* reſiqua omnia *incertiora* exigenda ſint. *Tyrannidem* patriæ à *Polycrate* ortam cauſam fuiſſe cur ſe *Pythagoras* ad *Occidentem* contulerit, hoc bonâ Veterum fide traditum repererant. Non item quo *vitæ* ſuæ tandem *anno* in *Italiam* venerit. Hoc ergo ſuis *ratiociniis* inveſtigabant, *Veteres* illi quidem, ſed ab illis *originibus* remotiores quàm ut *Facta* monumentis incognita certò aſſequerentur. Inde tanta illa ſententiarum *diſcordia*. Erant ergo qui tyrannidis *initio* illum ad *Crotonem* fugiſſe arbitrarentur, & *fugam* tum fuiſſe cum è *patriâ* diſcederet. *Diſceſſum* autem anno *Pythagoræ* XVIII°. fuiſſe è bonis monumentis didicerant. Tum ergo illum in *Italiam* appuliſſe exiſtimabant. Sic illi qui *adventum* illius ſub

Servio

Servio Tullio ſtatuebant, quique illum ex *Italiâ* ad Præceptorem *Pherecydem* ſepeliendum profectum exiſtimabant. *Errores* inde orti, quòd nondum de rebus à *Pythagorâ* medio inter *diſceſſum* è *patriâ adventumque* in *Italiam* geſtis edocti eſſent. Poſtea occurrebat, in *Ægypto* fuiſſe *Pythagoram*, & per annos XXII. ibi hæſiſſe animoque adeo nondum infenſo in *Polycratem* ut ab eo literas ſui commendatorias ad *Amaſidem* impetrârit. Hæc illi etiam è *bonis* hauſerunt monumentis, quæque nullum dubitandi locum reliquum fecerint. Inde nulla de his *Factis* diſputatio cùm jam ſemel innotuiſſent. Tum deinde manifeſtum erat nullam fuiſſe cauſam cur adhuc metu *Polycratis* fugeret *Pythagoras*, cum tantâ adhuc *Polycratis* gratiâ floreret quæ gratiam impetrarit *Amaſidis*. Hucuſque ergo progreſſi fuerant ætate *Ariſtoxeni* Scriptores de hac *Chronologiâ* ἀκριβέστεροι, pro ſententia *Porphyrij*. Erat enim in eorum numero *Dicæarchus* condiſcipulus *Ariſtoxeni* in Scholâ *Ariſtotelis*. Hi *Pherecydem* περὶ τῆς ἐκ Σάμου ἀπάρσεως τελευτῆσαι obſervarant, teſte *Porphyrio*, Vit. *Pythag.* p. 206. Illam nimirum ἄπαρσιν intelligit quæ ei metum *redeundi* injecerit. Alioqui in *Ægypto*, illum potius quàm *Samo*, fuiſſe, cum moreretur *Pherecydes*, neceſſe erat, cum in illud ſpatium inciderit ſepultura *Pherecydis* annorum XXII. quos *Pythagoras* exegiſſe dic[illegible] in *Ægypto*. Ita certè

 è nume-

è numeris illis annorum XVIII. cum primò *patriam* relinqueret, annorumque XXII. in *Ægypto* exactorum commiſſis invicem oritur annus ille, de quo agimus, *Pythagoræ* XL[us]: ut vix dubitare liceat quin illum inde collegerit *Ariſtoxenus* ipſe, vel *Dicæarchus*, vel alius aliquis Auctor coævus *Ariſtoxeno*. *Pythagoram* certè *Ariſtoxeni Tyrrhenum Mnemarchum* fuiſſe oſtendimus, in quem numerus *ille* non quadrabat. Erat enim ille, cum *Philoſopho* comes eſſet in *Italiam* proficiſcenti, νεανίας tantummodo, multoque junior *quadragenario*. Cum *Scholæ* præficeretur, poterat ille quidem fuiſſe *quadragenarius*. Sed de illâ *Epochâ* non agebat hoc in loco *Ariſtoxenus*. Sed quæ de *Philoſopho* vera erant *ſeorſim* ſumpta, qui & anno XVIII[o] è patriâ *diſceſſit*, & annos in *Ægypto* exegit, XXII. in unum numerum conflando, & ad *Pythagoram* ſuum traducendo, corrupit *Ariſtoxenus*, atque inde errores, quos diximus, elicuit. Hæc autem non debuit *Traditionibus* è *Sectâ* hauſtis, ſed juniorum tantummodo *ratiociniis*. Hinc & errores alij de *Polycratis* tyrannide, & *Pythagoræ* in *Italiam* adventu, in *Olympiadem* LXII. conferendis. Quòd ſcilicet in illam ipſam *Olympiadem* inciderit, annus ille *Pythagoræ* XL[us]. Quòd *quotus* ille fuerit *Olympiadis* annus non item deſignârint, hoc ſane fecerunt pro *Seculi* more quo vixit *Ariſtoxenus* atque *Dicæarchus*. Annos enim, ni fallor, *Olympiadum* medios

Archon-

Archontibus Atticis primus invicem diſtinxit utroque junior *Timæus.* Hanc ego veram hujus anni *Pythagoræ* XL[i]· *originem* fuiſſe ſuſpicor. Non ſcilicet ipſum à primævis *Traditionibus* acceptum eſſe, ſed ex ipſis hiſce *numeris* primævis XVIII. & XXII. commiſſis invicem per *juniorum* vitioſa *Ratiocinia.* Alioqui ſi hunc ipſum *numerum* tradidiſſent primævi *Pythagoræi*, quaſi *eventu* aliquo qui *Philoſopho* contigerit inſignem ; tum forte *Philoſophum* literas à *Polycrate* ad *Amaſidem* commendatitias accepiſſe crederem. Renunciavit enim tandem hoſpitio *Polycratis Amaſis*, nec *literas* proinde *commendatitias* ab eo accepturus erat. Inde amicitia *Polycratis* cum *Cambyſe Amaſidis* hoſte. Tum *ſuſpectos* ſibi cives, obtentu *auxiliorum* miſit ad *Cambyſem*, amovitque à ſeſe *Polycrates.* Initio tamen *Cambyſis*,integrâ adhuc *Polycratis Amaſidiſ*que, imo etiam *Cambyſis* amicitiâ ; tum ſpecioſiſſimus erat prætextus amandandi à ſe *Philoſophi*, ſi ſtudiorum patrocinium profeſſus eum *Amaſidi* obnixiſſimè commendaret. Erat præterea hæc Epocha *Tyrannidis* συντονωτέρας, cum major eſſet *Pythagoræ* metus quàm antea à *Polycrate*, & major viciſſim *Polycrati* ab adultiori jam *Philoſopho.* Sed priora potiùs vera arbitror.

